ANIMADVERSIONES AD L. ANNAEI SENECAE EPISTULAS QUAE SUNT DE ORATIONE SPECTANTES

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

G. H. MÜLLER

STAUCHITZENSIS

WEIDAE THURINGORUM

TYPIS EXPRESSERUNT THOMAS ET HUBERT

MCMX

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

Heinze et **Lipsius.**

Lipsiae, d. XXIX. m. Iul. a. MCMX.

Procancellario

Rohn.

J. H. LIPSIO ET RICARDO HEINZE

Seneca ist ein sehr geistreicher Mann und das ist doch immer die Hauptsache; sein Einfluß ist für die Literatur ein sehr wohltätiger gewesen, ich sage es um so mehr, je weniger ich ihn leiden kann.

Niebuhr.

Tabula argumenti.

A. Exordium.

Notissimae sunt Senecae epistulae quas misit Lucilio amico de elocutione et pronuntiatione: ep. 40; 59, 4—7; 75, 1—7; 100; 114; 115, 1—2, 18;[1] accedunt nonnullae animadversiones breves reliquas in epistulas per occasionem insertae et epistularum libri vicesimi secundi longius fragmentum a Gellio (N. A. XII c. 2) servatum, ex quo concludere licet nobis non omnia quae Seneca de oratione scripsit[2] conservata esse. Hoc summopere dolendum est, cum eae ipsae epistulae summi momenti sint sive ad res sive ad verba spectamus. Quarum epistularum ad interpretationem quae adhuc protulerunt viri docti, non modo non plena, sed ex parte ne recta quidem sunt. Copiosissime quaesitum est, num ex epistulis constitui posset doctrina, quae esset et una atque simplex et congrueret cum auctoris ipsius elocutione: Senecam sibi non constare sive hoc sive illud respiciatur primus exposuit Gercke, vir doctus;[3] collaudatus est a Nordeno viro, docto,[4] qui cum aliis locis dispersim, praecipue de ep. 114, tum p. 306 sq. accuratius iisdem de rebus dixit. Idem censuerunt Peter (l. l. p. 231—32) et Preisendanz.[5] Contra hos defendit Senecam Merchant, Americanus vir doctus.[6] Sed tantum abest

[1] Ep. 58, 1—7 in qua dicitur de sermonis Romani paupertate nobis non in censum venit.

[2] Iudicia hoc in libro explicata abhorrere a ceterorum librorum iudicandi ratione (Peter, Der Brief in der röm. Literatur, 1901, p. 235) nemo concedet qui quid Seneca de Maecenatis elocutione dicat legerit; alia hac de re cf. p. 65 sq.

[3] Annal. Fleckeis. suppl. XXII (1896), pg. 133 sq.

[4] Die ant. Kunstprosa, I, p. 307 adn. 1, 1898.

[5] Philol. 69 (1908), p. 68. Quae Marchant (Americ. Journ. of Philol. XXVI, p. 43—55) docuit, Preisendanz non legisse videtur. Cf. etiam Bernhardy, Gesch. d. röm. Lit., p. 306 et Gudeman, ed. Tacitus dial. p. 225—26.

[6] Cuius expositio mihi in conspectum cecidit, cum singularum rerum interpretatione similem ad exitum iam pervenissem.

ut Merchant quaestionem ad finem perduxerit et acquiescere liceat in eius verbis, ut composuerit tautummodo locos qui conferendi sunt. Non tractavit omnes locos, quos Gercke vel Norden in dubium vocaverunt; quodcunque de pronuntiatione a Seneca expositum est, prorsus fere omisit; non versatus est in singulis; non examinavit qualis singulorum locorum contextus sit in epistulis ipsis; denique quod censet Senecae orationem a doctrina prolata non tantopere abhorrere quam accipi soleat, parum diligentem eum esse indicavit Lehnert.[1]

Quod attinet ad epistularum textum debemus Henseo editionem egregiam, accurato apparatu critico ornatam (Lipsiae 1898)[2]; praeter eum contulerunt ad nostrarum epistularum textum restituendum nonnulla Bartsch, Buecheler, Madwig, Joh. Mueller, Ribbeck, Roßbach alii.

De epistularum elocutione dispersim pauca dicta sunt. Rerum autem singularum interpretatio initium sumpsit ab Erasmo, Lipsio, Gronovio, Schultingio. Ernestius quoque contulit duobus in lexicis suis (lex. techn. rhet. Lat. et lex. techn. rhet. Graecae) etiam nunc utilissimis compluria ad artis voces pertinentia; ei debentur magna ex parte Ruhkopfii paucae notae, quas saepe ad verbum expressas editioni suae (1797) addidit. Sed accidit ut antiquorum interpretum notarum pars non exigua nunc omnino non veniat in censum, cum illi propter pravam codicum aestimationem saepe a textu nostro discrepent.[3] — Quae cum ita sint operae pretium sit laborare in epistulis explicandis: nam est non solum complectendum et emendandum, verum restat ut epistularum dispositionem sententiarumque ordinem non semper primo aspectu planam eruamus, ut Senecae technologiam subtilem diligentius introspiciamus, ut comparemus quae eisdem de rebus dixerunt eiusdem aetatis scriptores Latini scl. Seneca

---

[1] Annal. Bursian. XXXVII, 1 (1909), p. 297.

[2] Eam inspicias hac in dissertatione perlegenda et fundamento utaris eis locis, quibus de textu nihil diserte dictum est.

[3] Epistularum conversio Germanica quam Forbiger (Stuttgart 1866) curavit Haakhii interpretatione (Stuttgart 1851) usus atque adnotationibus exornavit, non indigna est quae commemoretur; erit nobis compluribus locis comparanda.

rhetor, praecipue in controversiarum praefationibus, Quintilianus, imprimis in ultimis institutionis oratoriae libris, in quibus disputat de elocutione, Persius in prima satira, Plinius passim in epistulis, Tacitus in dialogo. Ne Graecos quidem scriptores rhetoricos illius aevi scl. Dionysium Halicarnassensem et auctorem de sublimitate omitti debere nemo non intellegit: inspiciendus est ille, quem ad Romanorum artem rhetoricam multum valuisse Quintiliani opere apparet,[1] propter terminologiam copiosissimam, contra conferendus est hic quem primo p. Chr. n. saeculo fuisse[2] persuasum habeo, etiam in rebus, paucioribus quidem locis, nonnullis enim locis percenset auctores quosdam aetatis suae, non nominatim attamen satis aperte et acriter veluti XV, 8.[3] In Dionysio comparando mihi auxilio venit Geigenmuelleri dissertatio egregia (Quaestiones Dionysianae de vocabulis artis criticae Lips. 1908) quae suppletur[4] duobus glossariis quae addidit Roberts, editor Anglus, duabus editionibus Dionysianis.[5] Qua in re praemoneo ne inutiliter molestus essem mole exemplorum, me iis locis quibus termini Graeci aut satis noti mihi videbantur aut exempla a Geigenmuellero prolata sunt multa, destitisse testimonia afferre. Quo melius in singulis versari possem, ei ordini quam artissime me applicavi in Senecae opinione exponenda quam ipse singulis in epistulis sequitur. Totam tamen materiam, quam tractandam mihi proposui circumspicienti, dispositio offertur epistularum argumento quarum quaeque est expositio in se conclusa, nam sermo est in ep. 40 de pronuntiatione, in ep. 100; 75, 1—7; 115, 1—2, 18; 59, 4—7 de philosophi oratione qualem commendat Seneca, in ep. 114 de corrupta oratione.

---

[1] Cf. Schmid, Atticismus I, p. 24 et Usener, Dionys. Hal. de imit. p. 110.

[2] Utrum priori parti saeculi (Wilamovitz, Herm. XXXV (1890), p. 49 adn. 2) an ultimis saeculi annis (Kaibel, Herm. XXXIV (1889), p. 128) attribuendus sit diiudicare non audeo.

[3] cf. hac de re Kaibel, Herm. XXXIV, p. 121.

[4] Desunt apud Geigenmuellerum perpaucae artis voces ut *ἄμυδρος ἄσημος κράτος ῥυπαρός σκληρός.*

[5] Dionys of Hal., The Three Literary Letters, Cambridge 1901 et On Literary Composition, London 1910. Terminis Latinis, quos adscribit non semper exprimi Latinas artis voces prorsus respondentes, addiderim.

B. Tractatio.

Liceat in universum nonnulla praemittere, quae spectant ad epistularum formam et argumentum. Scriptae sunt Lucilio Iuniori, Siciliae procuratori (ep. 31, 9 e. a. l.), cuius de studiis philosophicis rhetoricisque Seneca nonnulla in nat. quaest. l. IV pr. 14sq. refert. Attribuit vir doctus Roßbach[1]) Lucilio epigrammata illa quae supersunt in anthologia Palatina s. n. „Lucilius" n. 280 et carmen de Aetna compositum. Commemoratur in ep. 46 liber Lucilii — argumenti ut videtur philosophici — amico missus <qui primo aspectu aut Titi Livii aut Epicuri posset videri>. Vocatur tam <disertus> et <dulcis>, ut Seneca eum sine ulla mora magno cum gaudio perlegerit. De Lucilii elocutione disseremus infra in adnot. ad ep. 115, 1; 75, 1; 59, 4sq. scriptis.[2])

Proficiscitur autem Seneca libenter a verbis Lucilii in aliqua epistula prolatis (cf. ep. 40, 2; 100, 1, 10; 114, 1; 75, 1), quae non ficta (Peter l. c. p. 229/30) sed re vera ex epistulis Senecae a Lucilio missis hausta esse mihi persuasi, reputanti enim quales sint causae quae epistulis subesse dicuntur, haud scio an non probabile videatur Senecam excogitavisse, Lucilium audisse Serapionem, Lucilium legisse Fabiani scripta, Lucilium iudicasse de Senecae oratione, Lucilium ex Seneca corruptae eloquentiae causam quaesivisse. Reliquas Annaeani corporis epistulas quae sunt de rebus philosophicis separo ab epistulis nostris quia suspicor quasdam re vera Lucilio missas

---

[1] Annal. Fleckeis. 143 (1891), p. 100sq.; cf. Sakolowski, de Anth. Pal. quaest., diss., Lips. 1893, p. 22.

[2] Alia de Lucilio iuvenis apud Peter, l. l., p. 227/28; Teuffel-Schwabe, R. L. II[5], p. 752/53; Mewis, de L. Ann. Senecae studiis litterarum, diss., Koenigsberg (1908), p. 45 et 77; Prosop. Imp. Rom. II, p. 303.

esse,[1]) quasdam et in fallor multo pluros quam epistulas modo commemoratas a nostro his postea adiunctas, ut suppleretur corpusculum; inter epistulas philosophas quae huc quae illuc pertineant, accurate demonstrare non huius expositionis est. Integras nobis servatus esse epistulas Lucilio missas, ut Ciceronis ad Atticum scriptas, non puto, videntur potius ante corporis vel singulorum librorum editionem expolitae et retractatae esse.[2]) — Solet autem Seneca ad Lucilii verba, postquam paucis aut comprobata aut reiecta aut tantum circumscripta sunt, adiungere expositionem modo copiosiorem (ep. 40, 100, 114), modo breviorem (ep. 59, 75, 115), in qua argumentis quid censeat confirmat. Quinque virorum oratio epistularum ansam dat ac praebet quasi eorum medullam. Philosophos esse fere omnes, qui tractantur viri, non miramur. Primum ponenda est ep. 75, 1—7 ut gravissima, cum Seneca suam orationem a Lucilio improbatam defendat. Deinde amici orationem bis tractat noster, impulsu suo ut videtur non ad scribendum adductus aliqua Lucilii animadversione: reprehenditur Lucilius in ep. 115, laudatur in ep. 59, quae iudicia quamvis magni momenti sint ad Senecae stilum iudicandum prae iudicio primum allato minus valent, quia desunt certa scripta Lucilii, quorum cum oratione comparari possent. Tertium nititur ep. 100 aliquo iudicio, quod tulit Lucilius contra Papirium Fabianum; qua in epistula aestimatur simul — ut in ep. 59 Sextius philosophus — Ciceronis Pollionis Livii oratio philosopha. Alii iudicio Lucilii, quo designavit Serapionis philo-

[1] cf. Mewis, l. l., p. 74 ubi collectos invenis locos quibuscunque legitur de Lucilii ad Senecam epistulis frequentibus, vide etiam Roßbach, l. l., p. 100 sq. et Peter, l. l., p. 230. Quae Binder, D. Abfassungszeit von Senekas Briefen, Tüb., diss. 1905 hac de re p. 15 et 52 cf. p. 2 disseruit mihi quidem minime comprobari posse videntur; cf. Hermes D. L. 1906, 1501—1503.

[2] Similiter Hirzel, Der Dialog, 1895, II, p. 27; Misch, Gesch. d. Autobiogr. 1907, p. 241 adn. 2; Schanz, R. L. II, 2² (1901), p. 308; Hilgenfeld, annal. Fleckeis. suppl. XVII, p. 633, 641, 669, qui ep. 100 in epistulis vere ad Lucilium datis numerat, nisus enim verbis <talia esse scripta ... etiamsi ... videbantur> (§ 12) recte animadvertit Senecam denuo inspecturum fuisse Fabiani libros si editurus scripsisset ep. 40 neque fictis neque veris ascribere audet.

sophi pronuntiationem debetur ep. 40, in qua tractantur etiam P. Vinicii, Q. Haterii, Ciceronis, Fabiani pronuntiandi ratio. Denique orta est ep. 114, in qua praeter Sallustii Arruntii Ciceronis orationem copiose Maecenatis stilus aestimatur — citantur etiam exempla — Lucilii quaestione, quae refertur ad orationis corruptae causas. In fragmento sermo est de Ennio Cicerone Vergilio.

Caput I.
De pronuntiatione.

Dividitur pronuntiatio, *ὑπόκρισις*, duas in partes: vocis figuram et corporis motum i. e. vultus gestusque (auct. ad Her. III, 11, Dionys. Hal. Dem. 53, 1118). Seneca singulas partes non diligenter distinguit. Tractat praecipue pronuntiandi cursum. De voce et gestibus, in quas actionis partes a rhetoricae artis scriptoribus magna cum diligentia tractatas Serapionem studiose operam impendisse per se verisimile est, in ep. 40 nihil exponit: haud dubie quod Lucilius in epistula, ad quam relegatur, nihil dixit duabus his de rebus. Tanguntur paucissimis gestus in ep. 75, 2 et 111, 3, vox in ep. 15, 7, quia sibi persuasit noster gestationis ac vocis usum immoderatum alienum esse a philosophi oratione et pronuntiatione, de qua sermo est ubique fere in epistulis nostris.

§ 1.

Enumerantur autem haec vitia: in ep. 75, 2 <etiamsi disputarem nec supploderem pedem nec manum iactarem nec attollerem vocem, sed ista oratoribus reliquissem>, in ep. 111, 3 <non exsurgit (philosophus) in plantas nec summis ambulat digitis eorum more[1] qui mendacio staturam adiuvant longioresque quam sunt videri volunt: contentus est magnitudine sua>. Videmus non solum ex scholis philosophorum, sed etiam e disputationibus, in quibus affectus disserentium interdum acrius exardescunt, expelli corporis motus vehementes et miros.

---

[1] Fortasse scribendum est <in morem>, ut in ep. 114, 1; 40, 2 cum post <more> in A una littera erasa sit.

Oratoribus contentioris actionis partes proprios esse dici nemo miretur. Nimirum laudat Seneca minime in oratoribus pronuntiandi licentiam, quam Quintilianus quoque (inst. or. XI, 3, 89) abesse vult: <abesse plurimum a saltatore debet orator ut sit gestus ad sensus magis quam ad verba accommodatus, quod etiam histrionibus paulo gravioribus facere moris fuit>. Describit idem similiter atque Seneca declamantium pronuntiationem vultuosam et gesticulationibus molestam vocisque mutationibus exsultantem II, 12, 9: <omnia levata manu emugiunt, multo discursu, anhelitu, iactatione gestus, motu capitis furentes, iam conlidere manus, terrae pedem incutere, femur pectus, frontem caedere, mire ad pullatum circulum (cf. circulanti 40, 3) facit>. Verba in ep. 111, 3 elata lepide illustrantur fabella a Seneca patre (suas. 2, 14) narrata de rhetore quodam, qui quaecumque grandia erant magni aestimabat: <is sublatis manibus insistens summis digitis ... sic enim solebat quo grandior fieret ... exclamavit>. Quae verba Senecae philosopho versata esse ante oculos mihi videtur probabile et immerito ni fallor suspicatur Preisendanz (l. l., p. 79) nisus enuntiato <digitum tollere> quod in gladiatorum sermone usitatissimum est,[1] verba fortasse fluxisse ex proverbiorum thesauro communi, nam illud <digitum tollere> longe aliud est atque declamantium gestus, qui proderat corporis magnitudini augendae, accedit quod rhetores vix imitati sint gladiatorum illum gestum, cui adhaereret aliquantum indecori.

§ 2.

Arcere Senecam philosophos a vocis usu vitioso apparet ex ep. 75, 2 fin. <nec attollerem vocem>. Plura eadem de re in ep. 15, 1—8 <nec tu intentionem vocis contempseris quam veto te per gradus et certos modos extollere, deinde deprimere (cf. ep. 114, 15 <quorundam non est compositio: modulatio est>) quid? si velis deinde quemadmodum ambules discere? ... quid ergo? a clamore protinus et a summa contentione vox tua incipiet? usque eo naturale est paulatim

[1] Otto, Sprichwörter u. sprichw. Redensarten im Lat., p. 117 nº 555; cf. Friedlaender, Sittengesch. Roms II^6, p. 345 adn. 3.

incitari, ut litigantes quoque a sermone incipiant, ad vociferationem transeant: nemo statim Quiritium fidem implorat ergo utcunque tibi impetus suaserit, modo vehementius fac vicinis convicium modo lentius prout vox tua hortabitur . . . modesta cum recipias illam revocarisque descendat, non decidat; media oris via abest nec hoc indocto et rustico more desaeviat . . . non enim id agimus ut exerceatur vox, sed ut exerceat>. Porro huius loci est cantandi licentia in pronuntiando, quae in ep. 114, 1 in vitiis numerata (cf. not.) verbis <explicatio in morem cantici ducta> describitur. Ut in corporis motu quaecunque naturalem modum excedunt improbantur, ita vocis nimia intentio et modulatio — respondet nostro „Recitativ" — more declamantium, qui imitabantur modorum flexiones (καμπὰς) falsasque voculas iam Ciceronis aetate in cantu usitatas (Cic. de or. III, 25, 98; de leg. II, 15, 39) a philosophi orationis fine prorsus aliena iudicatur: Vox philosophi prodesse non delectare debet, nihil aliud est nisi instrumentum, quo sensus traduntur; de verbis idem demonstrari mox videbimus. Apte conferantur cum Seneca verbis de voce elatis verba patris contr. l. I, pr. 16, agitur de Latrone rhetore Hispano, quem nullam curam in vocis exercitationem impendisse ut erat rudis agrestis expressis verbis ostenditur: <quamvis inter initia parum attulisse virium videretur, ipsa oratione adcrescebat . . . utcunque res tulerat, ita vivere nihil vocis causa facere, non illam per gradus paulatim ab imo ad summum perducere, non rursus a summa contentione paribus intervallis descendere, non sudorem unctione discutere, non latus ambulatione reparare>. Qua rhetoris descriptione num nitantur (Preisendanz l. l. p. 72) nostri verba supra citata,[1] vix diudicari posse mihi quidem videtur, nam agitur non solum de rebus quae viro rhetorum artibus imbuto qualis est noster, tam tritae et usitatae erant ut si ei tractandae erant, non opus esset ad scripta alicuius ne patris quidem redire et se applicare; verum occurrunt etiam in conferendis singulis offensiones e. g. cf. verba de ambulando facta, quae differunt sensu inter se plane: cum enim pater dicat de eis, qui pulmones vehementibus clamoribus exhaustos

[1] Quae respondeant, conspicua reddidi linea.

student sedare·ambulando, noster dicit de eis qui alicui artifici se committunt, ut discant speciose ambulare. Senecam in philosophae pronuntiationis imagine depingenda Papirium Fabianum sibi proposuisse ut exemplum intellegitur ex Senecae rhetoris verbis (contr. l. II pr. 2) <vultus dicentis (Fabiani) lenis et pro tranquillitate morum remissus; vocis nulla contentio, nulla corporis adseveratio>, praesertim cum elocutionem quoque Fabiani laudet ac comprobet (ep. 100).

§ 3.

Multo fusius graviusque exagitantur duo pronuntiationis vitia alia, quae sunt in dicendi cursu aut nimio aut temerarie interrupto (ep. 40). Composita est ep. 40 aperte duabus ex partibus, ex proposito (§ 2 <audisse — sufficiat>) eiusque explicatione (§ 2—14). Exordium (§ 1) omittimus, quia nihil valet ad propositionem nostram. Expositio iterum bipartita est, continet partem quasi negativam et positivam: in illa reprehenditur Serapionis pronuntiatio ut vitiosa allatis quinque argumentis (§ 2—8), quae et rebus et verbis (cf. <adice nunc; quid quod etc.>) accurate inter se separata sunt; in hac ostenditur, qualem pronuntiationem probet Seneca, ac primum quidem magis in universum dicit, deinde alloquitur Lucilium. Epistulae finis praebet summam expositionis.

§ 2 <audisse — . . . sufficiat>.

In epistula, ad quam Seneca respondet, scripsit Lucilius se audisse *Serapionem*, cum ad Siciliam appulsus recitationes publicas haberet. De Serapione non multa constant. Haud scio an fuerit ille Stoicorum sectae assecla, Hierapoli in urbe Syriae natus, qui commemoratur ut *Σαραπίων* una cum *Ποπλίῳ* Stoico a Stephano Byz. s. v. *Ἱεράπολις*. Certum est eum numerandum esse in illis sophistis declamantibus, qui Senecae temporibus per urbes vagari et publicas orationes (*ἐπιδείξεις, ἀκροάσεις*), plerumque in ditiorum domibus hunc ad usum accommodatis habere solebant.[1] — Verba *<'Solet — sufficiat'>* Lucilio ascribenda sunt. Quid significent accuratius inquirere expedit. Praemitto me pro <ima> Lp cum recentioribus codicibus *<una>* legere,

[1] cf. Ruhkopfii notam; Pauly, Realencykl. s. v. Serapion; Zeller, Die Philos. d. Griech. III^{4}, 1, p. 713 adn. 2.

quod valet „zusammen in einem Zuge“ et melius quadrat quam <ima> vox, quae referenda esset ad dicendi sonum hoc loco omnino non tractatum. Locutio *<verba convellere>*, quod in thesauro l. L. mirum in modum verbis <concutere, labefactare> explicatur, nullo alio loco extat. Idem est atque verbum simplex <vellere> in § 10, quod proprie in ep. 114, 14, 21; 56, 2 dicitur et a Cicerone (de or. 3, 49) simili metaphora exprimitur cum effert <carpere membris orationem>, cf. Graecum *<τίλλειν>* de crinibus et carminibus a Cratino comico (Kock, com. fragm. no. 256) dictum. <Verba convellere> in eo esse, quod sententiae atque etiam singula verba in pronuntiando quasi lacerantur, perspicitur ex oppositione pronuntiationis continuae aequabiliterque currentis; sed cum P. Vinicius (§ 10) verba velleret tamquam dictaret i. e. lente, convulsit Serapio verba magno cursu i. e. celeritate (§ 12), *τάχει,* dicendi irrevocabili velocitate (§ 8), impetu *φορά.* Positae sunt voces <celeritas, volubilitas, flumen verborum> a Cicerone (or. 16) ut synonyma; nisus hoc loco et de or. 3, 33 appellat Ernestius s. v. cursus voces modo citatas synonyma vocabuli cursus, iniuria, nostro enim loco perfalsum est flumen verborum cum celeritate et volubilitate comparare. Potest quidem, non debet flumen idem significare atque volubilitas: nam ii de quibus Cicero dicit adhibent simul flumen et celeritatem, contra pronuntiat Serapio celeriter, sed deest flumen. Explicantur autem verba <magno cursu verba convellere> ab auctore ipso accuratius sententia relativa: <non effundit una, sed premit et urguet>; quod dictum est verbo <convellere>, exprimitur enuntiato *<non una effundit>* cf. *ἐκχεῖται* (*Πλάτων*) *εἰς ἀπειροκάλους περιφράσεις πλοῦτον ὀνομάτων κενόν* (Dion. Hal. Dem. 5, 966), in verbis autem *<premere et urguere>* inest et cursus et convellendi notio. Subtilissimum igitur se praebet scriptor in actionis affectionibus denotandis utiturque metaphorarum mira varietate: effundere adverbio <una> diligentius definitum dicitur a Quintiliano (III, 8, 58; IV, 1, 28) et Cicerone (de or. 3, 58) de eo dicendi genere, quod affert orationis copiam notionemque celeritatis concitatae. In ep. 100, 1 ubi usurpatur in compositione describenda, opponitur verbo <figi> wohl berechnet sein, ergo est <perturbate confuseque dicere>. Separavit

autem Seneca singulari distinguendi subtilitate a composito verbo simplex <fundere>: verborum copia in utroque verbo inest, contra intercedit hoc: effundere „herausgießen“ sapit ut ita dicam neglegentiam cf. § 5 verborum sine dilectu ruentium strepitus, fundere „hinströmen lassen“ significat orationem lenem et ordinate fluentem. — <premere et urguere> habent vim simillimam, non eandem. Illud valet propellere. Cum verbum apud nullum alium scriptorem invenerim coniunctum cum verba et relatum ad pronuntiationem, quamquam premere in arte rhetorica saepissime adhibetur, metaphoram esse Annaeanam crediderim. Imago similis subest in enuntiato <confessionem premere> (Quintil. VII, 2, 1) quod refertur ad tardam et interruptam orationem. Significationem premendo paene contrariam habet participium <pressus> (§ 14) i. e. remissus temperatus, usurpatur eodem sensu quo tardiloquus (§ 14); similiter opponit Quintil. (II, 1, 31) pleno et erecto pressum et mite dicendi genus. De <pressus> = gedrängt quod refertur ad elocutionem cf. quae ad ep. 59, 4 adnotavi. <urguere> significat durativum quasi statum propellendi atque gradatio premendi mihi esse videtur. Id igitur spectabat Serapio, ne usquam haesitaret neve insisteret. „Er überpolterte sich“ Forbiger. Huiusmodi oratoribus saepe accidere, ut vox suffocetur et elidatur <in sonum galli immaturo canentis> Quintil. (XI, 3, 51) docet. — Vocabulorum similium ubertas nobis etiam in sequentibus occurret. Sed tantum abest, ut epistulae tenor ideo non producatur ostendaturque idem modo his modo illis verbis, ut evitetur aequabilitatis taedium; addendum est quod adhibentur ad artis voces exprimendas plerumque metaphorae splendidae ac subtiles, quae aut copiose exponuntur aut paucis tantum significantur, velut totas per litteras orationem comparari cum flumine vel torrente intellegitur ex verbis a Cicerone etiam aliisque translate usurpatis: <cursus, currere, ruentium verborum strepitus, praecipitari, raptim rapere rapidus abundans effundere profluere>. De aqua videtur cogitatum esse etiam in <stillare> quod fieri potest in fonte vel siphunculo (cf. Fronto p. 158 N) vel fistula aquaria, quae <stillabat> praeclusa, <currebat> reclusa. Cum nive, quae magna cum copia et celeritate interdum terram operit, confertur

circulantis oratio quae auditores <sine intermissione supervenit> et <obruit>. Alia imago velocitatis dicendi est equus, cuius habenae immissae sunt, contra orationis tarditas similis dicitur gradarii, qui cursori equo contrarius est. Ut nivis translatio a Seneca diserte indicatur et explicatur, ita imago virorum per proclive currentium, qui pares sunt orationi effrenatae. Ad rem militarem saepius spectatur: ad militem qui speculans <pedetemptim procedit> et ne comprehendatur, <se circumspicit> cf. ep. 100, 11 circumspecta, ad militem expeditum (kampfbereit, ohne Gepäck) et concitatum (im Sturmlauf) in <disputabat expedite magis quam concitate>; cum vero dicitur <ut oratio eius sine impedimento exeat> impedimenti usus duplex (Gepäck, Hindernis) cf. ep. 87, 11, consulto adhibitus esse mihi videtur. Haud scio an dictio militaris sit etiam rarissimum illud <verba exercere>, sich auf bloße Worte eindrillen. Telum autem in animo habet Seneca, cum ostendit <insidere> non <praetervolare> debere philosophi praecepta, et ad artem medici spectant verba <sanare, descendere in nos (scl. in praecordia ima ep. 45, 7), remedia> de oratione in § 4 elata. In <perfrices frontem> = pudorem exuas respicitur ad manuum actionem, quae est his in verbis. Senecae ipsius mihi videntur esse sequentes imagines, quas nullo alio loco indagare potui: Mira imago quae est in <extendere> cf. not.; metaphorae <tractim, tractandam> quas ex arte medica petitas esse suspicor; <stillare>; denique <vellere convellere>, a <vulsorum> (Sen. rh. contr. l. I pr. 10) turpi consuetudine singulos pillos tollendi. Scripserunt de Senecae metaphoris Rauschning[1] et praecipue Steyns,[2] quibus ex dissertationibus hanc inspicere mihi non licuit, quamvis studuerim eam adipisci, sed ex recensionibus[3] apparet non separatas esse metaphoras quas Seneca conscius adhibuit ab eis quas inscius. Iudicanti Senecae stilum imprimis illarum rationem habendam esse manifestum est. Est autem Steyns vir doctus in eo quoque mancus, quod prorsus destitit indagare

---

[1] De latinitate Senecae philosophi, Koenigsberg 1876, p. 28—31.

[2] Etude sur les métaphores et les comparais. dans l. œuvres en prose de Seneca le philosophe Gand 1906.

[3] H. Blümner, B PhW. 1908, p. 644—45, et Gemoll, B PhW. 1907, p. 1165.

quaenam metaphorae sint Senecae ipsius, quae ab aliis auctoribus desumptae, et in his quae poeticae quae usitatae. Rauschning, qui imagines paucis paginis expedivit, nostrarum epistularum omnino non habet rationem nec tractat quaestiones modo expositas, in quibus inquirendis nos saepe certum ad finem pervenire non posse, sed in suspicionibus acquiescere debere, diligentius etiam in singulis intellegamus.

§ 2—3 <hoc non probo . . . — docentique>.

Reicit Seneca Serapionis actionem: <in philosopho>, hoc addit diserte. Ne oratori quidem affectibus impulso permitti posse dicendi velocitatem irrevocabilem postea § 8 docet. Cui contra attribuat pronuntiationis cursum, declarat verbis: <*sic itaque habeas istam vim dicendi rapidam . . . aptiorem esse circulanti*>. Ut in ep. 52, 8 opponit philosophis, qui agunt et docent rem magnam seriamque i. e. <vita docent, . . . cum dixerunt quid faciendum sit probant faciendo> (ep. 52, 8), circulantes vel circulatores (ep. 29, 7, Ben. VI, 11, 2) vel institores (ep. 52, 5), die marktschreierischen Rhetoren, qui nominantur a Cicerone (de or. III, 34, 35) clamatores ad clepsydram, latrantes, stultitiam loquaces quorumque ars appellatur a Quintil. (X, 1) volubilitas circulatoria, cf. ep. 52, 8; 88, 40 de vocis propria vi et Graecum illud simile ἀγοραῖος (Dion. Hal. de comp. verb. 25, 206). Eorum erat in privato circulari, verba magna cum celeritate praecipitare, communes locos volvere. Ut Seneca hoc loco Serapionem, ita vituperat Cicero (de or. III, 33) oratores illos qui veram eloquentiam in clamore et verborum cursu consistere putent, et Quintilianus monet (XI, 3, 52): <nec volubilitate nimia confundenda quae dicimus, qua et distinctio perit et adfectus et nonnunquam etiam verba aliqua sui parte fraudantur> cf. XI, 3, 33 et 35. Ex Romanis oratoribus, qui utebantur magno cursu, unus nominatur in epistula nostra (§ 10): Qu. Haterius, qui Serapionem etiam superavit impetu, non interrupto quidem, sed perpetuo. Albucius quoque rhetor dicebat <citato et effuso cursu> (S. rh. contr. l. VII pr. 2). — Primum argumentum, quod affertur contra Serapionem, est hoc: Pronuntiatio eius dedecet philosophum, quia caret ordine et compositione. — Quod supra sententia <cursu convellere verba> expressum est, dicitur hoc

loco verbis synonymis <*properare et praecipitari*>, quorum in altero praeter celeritatis notionem, quae propria est properandi, inest convulsi inordinatique cursus. Vulgari autem voce <*ordinatus*>, quae opponitur verbis <properare et praecipitari>, effertur artis vocabulum <*compositus*> cf. ep. 11, 9, quod in Senecae philosophia magni momenti est cf. ep. 4,1; 56, 14; 55, 8; 100, 8; 115, 18. Aeque vocat Quintil. (XI, 3, 110) moderatam quietamque actionem <compositam> et opponit (X, 1, 119) exsultanti oratori compositum. Non confundi debet cum nostro loco compositionis notio, qualis est in ep. 100 ubi <composite dicere> pertinet ad rectam concinnamque rerum dispositionem et ad verborum rectum elegantemque delectum (cf. Cic. de or. I, 11sq. Quintil. [IX, 4, 23], Dion. Hal. de comp. verb. 9); qua de causa non dissentit Seneca a se, cum in ep. 100 compositionem non excoli a philosopho cupit. — Illustratur argumentum primum comparatione deprompta ex Homero qui <omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit> Quintil. (X, 1, 46).[1] Plinius (ep. I, 20, 22sq.) explicat orationem hibernis nivibus similem verbis <crebram et assiduam et largam, postremo divinam et caelestem>. Frontonis imaginem (p. 158 N) nostrae similem laudat Gercke (l. l. p. 148): <an aquae de sipunculis concinnius saliunt quam de imbribus?> Certum est cogitandum esse de clarissimis poematis oratoribus de Nestore et Ulixe, quorum oratio in Iliade I, 247sq., III, 221sq., cf. schol. III, 222 verbis:

ἡδυεπὴς ἀνόρουσε λιγὺς Πυλίων ἀγορητής
τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή —
ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει
καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσι

descripta saepissime ab antiquis opposita est, similiter atque a Seneca qui Ulixe frequenter (ep. 31, 2; 56, 15; 66, 26; 123, 12; de benef. V, 25, 4) exemplo utitur, a Quintil. XII, 10, 64 <ex ore Nestoris dixit (Homerus) dulciorem melle profluere orationem ... sed summam expressurus in Ulixe facundiam

[1] cf. Hecht, Zur homer. Beredsamkeit (Festschrift f. Friedlaender) p. 123, 13, et H. Weber, de Senecae philos. dicendi genere Bioneo Marb. diss. 1895, p. 50, quo loco tractatur ἦθος Homericum apud Senecam.

et magnitudinem illi vocis et vim orationis nivibus hibernis copia verborum atque impetu parem tribuit cf. XI, 3, 158 eum illam eloquentiae procellam effudisse>. Principes contionalis et iudicialis eloquentiae iudicaverunt Nestorem et Ulixem Plato (Phaedr. p. 261), Cicero (Brut. X, 40, 41), Telephus Pergam. (Spengel, syn. techn. p. 210sq.), Hermogenes (Walz, rh. gr. IV, p. 10).[1] Verba <melle dulcior> proverbialem habere vim ostendit Otto, l. l. s. v. mel 1. Tantum constat. Sed offenderunt viri docti in vocibus <orator> et <senex> oppositis conicitque primus Haupt (opusc. II, p. 325) <superveniens iuveni oratori> vel, omissa ultima voce ut nota explicativa librarii seduli, <s. iuveni> cum suspicatus est <iuveni> excidisse propter simillimam vocem antecedentem <superveniens>. Qua in coniectura non acquievit Madvig (adv. crit. II, p. 475), sed scripsit <in morem nivis uber iuveni oratori>, unde geminato s in nivis facile oriri posset <superveniens> participium sensu carens. Hense editor sequitur Hauptium <iuveni oratori> in textu scribens, simul proponit in apparatu critico <superveniens iuveniori>. Quibus coniecturis non tolli loci difficultatem iam Badstuebner[2] brevissime docuit. Verum improbandae sunt vel propterea, quod positae sunt duabus in opinionibus falsis: Postulatur oppositio prorsus sibi respondens et ponitur summum pondus falso in aetatis graduum oppositione. Opposuit Seneca in verbis praecedentibus Serapionis circulantis pronuntiationem concitatam et incompositam veri philosophi orationi compositae, in sequentibus opponit circulantem et rem seriam agentem. Simuli modo dedisse Homerum <oratori> orationem concitatam et sine intermissione fluentem, <seni> lenem. Comparantur igitur composita oratio philosophi cum Nestoris leni oratione, Serapionis concitata pronuntiatio cum Ulixis rapida, opponuntur oratio composita et oratio concitata, senex et orator. Per se si re-

---

[1] cf. C. Reinhardt, Qua vice Nestoris et Ulixis personae in arte rhet. functae sint (Comment. in hon. Buecheleri, Useneri. p. 12sq.); Otto, l. l., p. 242 ubi collecti sunt loci quibus a Romanis Nestoris oratio celebratur Gudeman, Tac. dial. c. 16, 19 not.

[2] Hamburg, progr. 1901.

spicimus verba nuda, <orator> et <senex> non sunt notiones contrariae, aliter si reputamus <senex> nulla alia de causa esse positum, nisi ad Nestorem significandum, cuius senectus notissima sit et paene proverbii locum obtineat. Deinde apud Homerum is est, qui rem seriam agit ac docet, qui eos qui audiunt magis convincere quam impetu rapere vult, id quod faciunt Serapio et Ulixes. Quod Seneca Ulixem significat voce <orator>, non est quod quis miretur, nam ut Nestoris dicendi genus simile est philosophi ita accedit Ulixis ad pronuntiationem oratoris, quam Seneca in epistula philosophicae opponit. *sic itaque]* ponitur <itaque> a Seneca non solum secundo loco ut ep. 27, 1; 10, 2; 17, 5, verum etiam tertio e. g. ep. 26, 5 <non timide itaque>. *concitata]* cf. § 12 concitate disputabat, i. e. accelerata atque ardens, *σύντονος*. Unde petita sit imago discimus ex ep. 114, 3 <concitari gradum>. Opponit Quintil. (VIII, 3, 40) moderate vel (X, 2, 23) remisse dicere. *in morem nivis]* cf. de subl., auct. XXXII, 1 *χειμάρρουν δίκην ἐλαύνεται (τὰ πάθη)* et ep. 114, 1 <in morem cantici>. *profluit]* cf. § 12 proferatur malo quam profluat (oratio); verbum Nestoris orationi facili ac gratae aptissimum. *supervenire]* et obruere (§ 3) continent inexspectati notionem. *rapidem atque abundantem]* quae duo adiectiva Serapionis pronuntiationem egregie depingunt, in <rapidus> (cf. rapere aures impetu) est impetus numeri cito decurrentis, copia contra uberior in <abundans>, quod hoc loco fortasse translatum est a flumine nive aucto. Id, quod ex cursu et abundantia verborum oritur, vocatur strepitus (§ 6). *habe ut]* Exhibent libri: sic itaque habe (‚habere' sed ‚re' erasum p) ut istam p L, sic itaque habe istam ς. Quia deest verbum ad <ut> pertinens, censuit Hense <ut> temere illatum esse priori <sic> quasi responsurum. Aliter Badstuebner (l. l., p. 20), qui arbitratus est maculam esse in <docentique>, quod ex <doceat> scl. Homerus et sequenti <aeque> ique> dittographia corruptum esset. Ut in hoc mihi displicet coniunctio verborum <habe ut>, ita Hensei explicatio difficultatis nimis coacta parumque probabilis videtur. Proponam potius <habeas> pro <habe ut>. Restat vero hoc: Non inveni exemplum, quo confirmatur <habere> valere posse

<persuadere sibi> cum accusativo cum infinitivo, nisi forte accipimus verba <sic itaque habe> pro detractione, i. e. notio confidendi vel similis verbi omissa est. *agenti rem magnam ac seriam]* opposuit S. rh. contr. l. I, pr. 5 (seriam rem agenti) et contr. l. X, pr. 1 (tamquam seriam rem agam) eodem modo rebus seriis declamationes suasorias controversias, quippe quae essent plerumque de rebus fictis iisque, quae in rerum usu nihil valerent.

§ 3 <aeque stillare ... fugit>.

Ut Seneca nimiam celeritatem in pronuntiando improbat, ita reicit contrarium pronuntiationis vitium: nimiam vel interruptam tarditatem. Hanc tamen in partem magis se inclinat quam in cursum quia persuasum habet verba eius qui utatur tarditate facilius meliusque haerere animo, quod exspectantur, quam orationem velocem. Ita suadet Lucilio, si liceat duobus ex contrariis alterum eligere (§ 9), ut dicat tractim in morem P. Vinicii, de quo narratur lepida fabella, qua sermo eius nobis clarus fit. Ne Quintilianus quidem commendat nimiam tarditatem. Sed cum suadeat oratori, intellegimus cur se magis in cursus partem convertat (XI, 3, 52): <cui (scl. volubilitati nimiae) contrarium est vitium nimiae tarditatis: nam et difficultatem iuveniendi fatetur et segnitia solvit animos et in quo est aliquid temporibus praefinitis aquam perdit: promptum sit os, non praeceps, moderatum non lentum> cf. etiam XI, 3, 33 <ut est autem necessaria verborum explanatio ita omnis imputare et velut adnumerare litteras (cf. § 9 P. Vinicium) molestum et odiosum>. — Verba opposita *<extendere>* et *<obruere>* referuntur ad *<stillare>* et *<currere>*: currendo (h. e. oratione rapida) aures obruuntur (h. e. cumulantur verborum nimia copia) cf. Cic. Tusc. II, 1, 3 <obrui copia sententiarum et verborum> et Rothstein, ad Propert. I, 12, 9 de obruendi voce; verborum abundantia et vis, comparata cum aqua quae in vas effunditur, talis est, ut auribus vix recipiatur, idem efficitur voce <ingerere> § 8. Contra stillandi tarditate taedium auribus affertur. Unde extendendi metaphora ducta sit difficile est dictu. ‚Pendent aures et quasi trahuntur a diu tracto verbo aut sensu', adnotat Lipsius. Mihi quidem videtur probabilius imagine

depingi auditorem, qui aures erigit ut singulis verbis quasi propius accedat, qua re aures extenduntur. — Stillando oritur verborum <*exilitas*>, quae est vitium orationi fluenti contrarium et proprium interruptae tarditatis. Exilitas et inopia synonyma de pronuntiatione dicta sunt hoc loco, de elocutione in ep. 75, 3 <ieiuna et arida> cf. not. — Insidendi notio invenitur persaepe translate pro <in animum dimittere>, est idem atque <descendere> § 4. *praetervolat]* synonymum sequentis <fugit> cf. Cic. or. 197 <dum verba et sententias excipiunt, fugit eos et praetervolat numerus>. Ad sententiae sensum apte conferantur Plinii verba (ep. I, 20, 3): <plerisque longiore tractatu vis quaedam et pondus accedit, utpote corpori ferrum sic oratio animo non ictu magis quam mora imprimitur, ... 18 relinquere aculeum in audientium animis is demum potest qui non pungit, sed infigit>. *tradere]* in hac re esse proprium constat cf. ep. 104, 22; 123, 8; Cic. de or. 1, 18, 84 etc.

§ 4 <adice nunc ... potest>.

Altero argumento utitur Seneca contra Serapionem hoc: fallax est oratio eius. Id enim agere Serapionem recitationibus ad speciem spectantibus, ut primo impetu commoveat turbam imperitam (cf. ep. 100, 11 <quaeritur plausus> 75, 7 <quid aures meas scabis?> ep. 45, 5/6.) Celeri enim pronuntiatione effici ut singula verba non possint <*tractari*> i. e. recenseri. Quae cum ita sint, omnino non fieri posse ut oratio quippe quae ipsa effrenata sit, alios regat. Videtur Seneca in ep. 100, 3 defendere sententiam hoc loco prolatae contrariam. Duobus tamen locis diligentius examinatis magnum intercedit discrimen: nam Fabiani impetus positus est in rerum ac pronuntiantis gravitate, non in verborum strepitu qua de causa a Seneca laudatur, plura hac de re cf. p. 40 sq. De declamantium inanitate quam Seneca acri dente carpit, satis habeo pauca proferre quae cohaerent cum hoc ipso loco: Gloriatos esse declamatores se uti viribus et dicere impetu — neque enim probatione opus esse — discimus ex Quintil. II, 11, 3 sq., II, 10, 3 imprimis V, 12, 17—23, qui loci ad deperditum librum <de causis corruptae eloquentiae> referendi sunt, ex Petronio sat. c. 1—2, ubi sermo

est de <ventosa istac et enormi loquacitate>, ex Dion. Hal. Dem. 36, 1067, de comp. verb. 22, 165, de vet. or. 1, 466, quibus locis declamatorum θεατρικὸν ad imperitam multitudinem pelliciendam aptum depingitur. Ad verba <movere vult — aufertur> cf. S. rh. contr. l. I. pr. 21 <orationis cursus audientis iudicium impediat>. Denique commemoro Persii sat. I, v. 83—91 ubi de illius aetatis poetis legimus: omnes id spectasse ut colerent artem eleganter dicendi versusque molliter componendi et inde laudem affectarent, non ut veritatis vi animos commoverent. Quae turpitudo quo processerit inter oratores, forti exemplo a Persio illustratur. — *adice nunc quod]* formula scriptorum argenteae aetatis propria, sed a Seneca praecipue usurpata cf. ep. 15, 2; 95, 9; 100, 6; 114, 13; 117, 33; Dial. II, 17, 4; de ira III, 5, 7. Formata est per analogiam constructionis <accedit quod> similiter atque <adde quod> (Stolz-Schmalz, Lat. Gr.^{3} p. 376). Hanc transitionem ex rhetorum officinis haustam esse cum inveniretur saepe apud auctores sermonem rhetorum imitantes suspicatus est Preisendanz, qui (l. l. p. 70 adn. 8) multa de formula exponit, non male, sed considerandum est iam apud Livium (XXIII, 5, 9) legi <adicite ad haec quod>. — *incompta]* cod. L exhibet <incomposita>, p <icomposita> sed i prior erasa est. Proposuit <incompta> Schultess, quem secutus est Hense, ac summo iure, nam vox <incomposita> de acie perturbata a Tacito (Hist. II, 40, 6, III, 48, 3, IV, 34, 19) dicta prorsus abhorret a postulatione huius epistulae: pronuntiatio veri philosophi debet esse composita. Etiamsi verba <adice-veri> propter vocem <oratio> simul ad elocutionem referimus, <incomposita> non convenit, quia synonymum est vocis <neglegens> non <securus> (100, 6). <Compositus> emendare pro <incompositus> propterea dubito quod sensus in § 2 expressus hac modo repeteretur et vox ad <simplex> male quadraret. Demetrii (*περὶ ἑρμην.* 15) verba *<οὕτως γὰρ καὶ ἐγκατάσκευος ἔσται καὶ ἁπλοῦς ἅμα>,* quae confert Gercke vir doctus proponens <compositus>, huc non faciunt quoniam non pertinent ad pronuntiationem et *ἐγκατάσκευος* sensum habet prorsus alium atque compositus (gesetzt) cf. Geigenmueller l. c. p. 99/100. Apte contra cadit <incompta>, h. e. sine magno comptu, naturalis,

ἀκόμψευτος (Dion. Hal. de comp. verb. XXII, 150, 170), et in nostri postulationem <non ieiuna et arida volo ... oportet> (75, 3) et in <simplex>, quod sequitur, Gr. *ἁπλοῦς ἀφελής* cf. de tranqu. an. I, 13 <simplici stilo scribe>. Ut enim <mulieres dicuntur nonnullae inornatae, quas id ipsum deceat, sic subtilis oratio etiam incompta delectat; fit quiddam in utroque quo sit venustius sed non ut appareat> Cic. or. 23, 78 cf. Quintil. VIII, 3, 87 <ipsa illa *ἀφέλεια* simplex et inaffectata habet quendam purum qualis etiam in feminis amatur, ornatum et sunt quaedam velut e tenui diligentia circa proprietatem significationemque (pressa sunt omnia et rei aptata ep. 59, 5) munditiae>. Ad coniecturam commendandam addo vel ex codicum dissensione similiter in Quintil. VI, 5, 10 exstante apparere textus mendum subesse librorumque scripturam facillime oriri potuisse propter vocabulorum magnam similitudinem. — Vocatur Serapionis oratio <*popularis*>, für das Volk berechnet, proprie = oratio quae habetur coram magna multitudine. Opponit Cicero (or. 19, 64 de or. II, 159) similiter philosopham orationem populari, in qua qui audiunt acriter ad pronuntiationem attenti sunt (or. 173). Ut Seneca veram philosophi dictionem opponit fallaci Serapionis orationi ita opponuntur *λόγοι* vel *ἀγῶνες ἀληθινοί μελέταις σοφιστῶν* a Philodemo (rhet. I p. 41, 10 Sudh.) et Ps. Dionys. (ars rhet. X, 16, 391), panegyrico generi, in quo <*τοῦ κομψοῦ λείπεται τὸ ἀληθινὸν*> a Dion. Hal. (Dem. 8, 975 Isocr. 12, 558.) — *tractandam se non praebet]* duplici de causa: quia praetervolat et praeter verba sonantia nihil continet quod tractari possit. Sensu proprio adhibet Plinius (n. h. 9, 88) idem enuntiatum: <praebens se tractandum (delphinus)>. Participium <tractata> quod in oratione Fabiani (ep. 100, 2) describenda adhibetur, respondet Graeco *ἐγκατάσκευος*. Verba <minus praestant ad manum relata> (ep. 100, 3) quae similia sunt enuntiati <tractandam se non praebet>, de Fabiani compositione dicuntur quae neglegentiae vestigiis non libera est, cum mores a Fabiani oratione non absint. — Sententiam <*quomodo autem regere potest* (scl. alios oratio) *quae regi* (scl. ipsa se regere) *non potest?*> colorem traxisse e contr. l. IV, pr. 8 <regi autem ab ipso non poterat (Q. Haterius)> censuit Preisendanz (l. l. p. 71) iniuria, crediderim,

cum noster in universum dicat, pater de certo viro et verbi <regi> vis duobus locis diversa sit: nostro loco valet: <sich im Zaume halten, beherrschen>, contra illo: <anhalten, aufhören zu reden>. Putare nostrum iis locis quibus verborum similitudo quaedam invenitur, ex patre quodammodo pendere, est eius ingenium ignorare.

§ 4/5 <quid quod — curat?>

Tertium vitium Serapionis pronuntiationis cohaeret cum nimia celeritate: Oratio tam rapida, etiamsi rebus completa esset, nihil utilitatis praebere potest, quia praetervolat et non immoratur. Iam supra idem tactum est verbis <non traditur quod fugit>. Ut medicorum remedia ita philosophorum recitationes quae destinatae sunt ad mentes sanandas, non transire, sed in animos descendere debent. Repetit scriptor hoc in argumento demonstrando secundum argumentum cum dicit <multum praeterea habet inanitatis et vani, plus sonat quam valet>. Qui sensus quamquam inductus est <praeterea> adverbio, perpetuitatem sententiarum delet, cum dissentiat a verbis sequentibus quibus quod Seneca adumbravit verbis <remedia non prosunt nisi immorantur> persequitur accuratius, gerundivis enim <lenienda, compescenda, discutienda, corripienda> afferuntur ex illis remediis nonnulla describunturque qui respondent morbi verbis <quae me exterrent, quae irritant, quae fallunt, luxuria, avaritia>. Apparet igitur illam sententiam nec cum verbis quae praecedunt nec cum sequentibus cohaerere. Ob eâm rem Senecam neglegentiae in disponendo arguere equidem valde vereor, potius credo sententiam esse parenthesin, qua argumentum alterum perpaucis repetitur ut habeat plus ponderis. — Medicinae exemplum, quo utitur Seneca cynicorum more (cf. Weber, l. l. p. 17 et 40, Muson. ed. Hense p. 5 l. 6 sq. et adnot. ad p. 1 l. 9) persaepe invenitur velut ep. 95 totam per epistulam, ep. 52,9 etc. — *sonat]* contrarium valendi hoc loco habet significationem universam et pertinet ad Serapionis studium verbis, non rebus animos capiendi. Similiter ep. 52, 11 <clamorem rerum magnitudo, non sonus orationis evocabat> et ep. 114,16 <sine effectu nihil amplius (efficiunt sententiae) quam sonant>. Verba <sonantia> (ep. 114,14) sunt plena gravia (Cic. part. or. 15,53),

εὔφωνα. De arte musica usurpatur <sonus> in ep. 56,4; 123,9. Graeci sonitum orationis, quatenus lectis et sonantibus verbis efficitur, vocant, <*εὐφωνία*> vel magis in malam partem, sensu <strepitus> (§ 5), *κρότος* (Ernesti, s. v. *εὐφημία*). De sophistarum inani strepitu verborum dicit Hermog. (II, p. 437, 22 Sp.) <*αἰσχρῶς καὶ κενῶς* (inanitatis et vani) *κολακεύει τὴν ἀκοήν*> et auct. de subl. (XXIII, 4) <*κώδωνας* (i. e. tinnulos Quintil. II, 3,9 vel tinnitus Tac. dial. 26,3) *ἐξῆφθαι λίαν σοφιστικόν*>. — *raptim]* cf. impetu rapere, rapidus, oppos. tractim (§ 9).

§ 5, 6, 7 <quid quod — procedere>.

Gravissimum argumentum profert noster contra verborum cursum, cum negat voluptatem ullam inesse in audiendis verbis, quae sine ordine ruant magno cum tumultu. Satis esse istos clamatores qui verba exerceant, semel audire. Denique vero accedit quod oratio immissa et perturbata perniciosum praebet exemplum, cum similis sit viri qui nesciat imperare animo suo nec progredi paulatim. Celeritas philosophiae non est <satis decora> *πρέπουσα* cf. ep. 100, 1 et 59, 5 (decor). — *strepitus verborum]* proprius clamosi grandiloquique dicendi generis cf. ep. 38, 1; S. rh. (contr. l. VII pr. 2 sq.) qui de Albucio declamatore, cuius oratio citato cursu veniens verbis abundabat: <nihil detrahebat ex supervacuo strepitu>; Petron. sat. 1 <(declamatorum) sententiarum vanissimo strepitu>. Sibi <obstrepit> (Cic. de or. III, 13, 50) quodammodo Serapio in dicendo. Idem effertur enuntiato <verborum inanium crepitus> (ep. 123, 10) et verbo <sonat> (§ 5) cf. etiam Gellium (N. A. 17, 10) qui Vergilium laborasse in <strepitu et sonitu verborum conquirendo> iudicat. Notissimus est vocis <strepitus> usus ad clamorem concursumque hominum significandum, qui occurrit in foro (Cic. Brut. 317, Hor. carm. III, 29, 12 etc.). — *verba exercuerunt]* idem ep. 82, 8, enuntiatum aptissime ad declamatorum studia exprimenda electum. De eadem re dicitur in § 14 <exercitatione opus est cotidiana et a rebus studium transferendum est ad verba>. Quantam ad virtutem rhetores processerint assidua exercitatione uno exemplo demonstrare satis habeo (S. rh. contr. l. VII pr. 3): <non posses de inopia sermonis Latini queri cum illum (Albucium) audires; nunquam se torsit quomodo diceret,

sed quid diceret; sufficiebat illi in quantum voluerat explicandi vis>. — *immissa]* i. e. soluta, proprie de habenis, videtur a nostro ex poetarum thesauro (Virg. Aen. V, 662, XI, 889, Ovid, met. I, 280 e. a. l.) haustum et ad orationem translatum esse. *quemadmodum per proclive currentium non ubi visum est gradus sistitur sed incitato corporis pondere se rapit ac longius quam voluit effertur]* cf. Dion. Hal. Dem. 40, 1077: *πολλὴν σφόδρα ποιουμένη φροντίδα τοῦ . . . προπετεῖς ἁπάντων αὐτῶν εἶναι τὰς ἁρμονίας ὥσπερ κατὰ πρανοὺς φερόμενα χωρίον σώματα* (*M*, non *νάματα* Kießling) *μηδενὸς αὐτοῖς ἀντικρούοντος.* — *ponere]* i. e. cum ordine pronuntiare, oppos. proicere, quod diligenter explicatum est verbis <solet . . . sufficiat>. Similiter coniungit Cic. or. (59, 199) ponere et abicere quibus de verbis cf. Pideritii et Sandysii notas. In ep. 100, 1 ubi disputatur de compositione significantur duo componendi genera respondentia vocibus <figi> et <effundi>. In verborum autem delectus gradibus respondet <abicere> (ep. 75, 2) voci <proicere>. In ep. 114, 7 <verba tam contra consuetudinem omnium posita> sensus ponendi est communis et proprius = stellen. — ponere et pedetemptim procedere] iterum iterumque postulatur pronuntiatio ordinata et tarda.

§ 8 <quid ergo . . . possunt>.

Vituperavit Seneca adhuc pronuntiationem quod esset non composita, quod careret veritate, quod non immoraretur, quod ne voluptatem quidem haberet, quod discendi imitandique occasionem non praeberet. Nunc aperit expressis verbis, qualem philosophi actionem esse ipse velit: Non vetat eam aliquando insurgere. Sed postulat ut vires magnae moderate adhibeantur, nam violari morum dignitatem si modus excedatur. Ne oratori quidem, cui per se permittitur oratio concitatior quam philosopho, pronuntiandi nimium impetum concedit quia iudices praesertim si imperiti sint, subsequi non possint. Potius commendat in orationis pronuntiatione etiam tum cum oratorem <aut ostentatio abstulerit aut effectus impetus sui> temperatam celeritatem; idem de ira II, 35, 1/2 <non vitabimus impetus hos graves, funebres et irrevocabiles? ea demum velocitas placet, quae ubi iussa est vestigium sistit nec ultra desti-

nata procurrit flectique et a cursu ad gradum reduci potest> et auct. de subl. XII, 3: *ὁ μὲν ῥήτωρ ἅτε παθητικώτερος πολὺ τὸ διάπυρον ἔχει καὶ θυμικῶς ἐκφλεγόμενον, ὁ δὲ (Πλάτων) καθεστηκὼς ἐν ὄγκῳ καὶ μεγαλοπρεπεῖ σεμνότητι οὐκ ἔψυκται μὲν ἀλλ' οὐχ οὕτως ἐπέστραπται.* — *quid ergo?]* cf. ep. 114, 4; 117, 3, 16; 45, 11 = *τί οὖν*, interrogationis formula sermonis cotidiani propria (Friedlaender[2] ad Petronium c. 30, p. 219) quae orationem reddit vividam gravemque et usurpatur plerumque ab oratoribus, ut intendatur animus ad id quod ex aliqua re — hoc loco ex reprehensione Serapionis quae praecedit — colligi poterit (cf. Rauschning, l. l., p. 13). Senecam delectari huiusmodi formulis interrogationibusque concitatis (cf. etiam <quidni> <quid? quod>) quibus dialogi color efficitur, vel ex ep. 40 satis perspicitur. — *torrens]* i. e. orationis perpetua concitatio, *χειμάρρους*. Hoc loco substantivum est, in ep. 100, 10 adiectivum. Satis constat vocem inveniri permultis locis (Quintil. X, 7, 23, XII, 10, 19, Iuvenal X, 9 etc.) translate synonymumque esse velocitatis irrevocabilis, impetus (Tac. Dial. 24, 2 quo torrente, quo impetu saeculum nostrum defendit [Aper]). Ad imaginem quae subest illustrandam cf. Quintil. XII, 10, 61; <ille qui saxum devolvat et pontem indignetur et ripas sibi faciat multus et torrens iudicem vel nitentem contra feret cogetque ire qua rapiet>. — *salva dignitate morum]* cf. § 14 salva verecundia. — *subsequi]* dem Verständnis nachkommen. Idem valet <sequi> apud Quintil. X, 1, 15 <ut intellegere ea sine demonstrante et sequi iam suis viribus possit> X, 1, 50 <non aemulatione sed intellectu sequi>. Aliam vim = mit Aufmerksamkeit folgen habet sequi apud Tacit. dial. 23, 12 <quos more prisco apud iudicem fabulantes non auditores sequuntur, non populus audit; falsus est Gudeman, cum in adnot. ad Tac. dial. l. l. locorum citatorum significationem eandem esse censeat. — Scripsisse nostrum verba <*vix oratori — vadentem*> memorem verborum patris de Haterio elatorum (contr. l. IV pr.) <tanta erat illi velocitas ut vitium fieret (7) . . . non dirigebat se ad declamatoriam legem nec verba custodiebat> suspicatur Preisendanz (l. c., p. 71), fortasse iure. — *ostentatio]* *ἐπίδειξις*, vox magni

momenti in declamatorum sermone cf. ep. 16, 3; S. rh. contr. l. I pr. 21 <et nescio an maximum vitium subtilitatis sit nimis se ostendere>, l. IX pr. 1 <Montanus Votienus adeo nunquam declamavit ostentationis causa ut ne exercitationis quidem declamaverit>.

Legitur in libris *<effectus impetus sui p L>*, quae verba Hense coniectura Mureti nisus mutavit in <affectus impotens sui>, immerito, puto potius cum Lipsio et Buechelero defendi posse codicum scripturam: Der Erfolg, die Wirkung seines Angriffs, seiner kraftvollen Rede. Vult noster dicere: Ubi primum orator vidit iudices orationis vi perductos ad causam suam se inclinare incipere, ne tum quidem modum transgrediatur. — *festinet atque ingerat]* ad celeritatem et orationis abundantem copiam referuntur. De <ingerere> cf. de benef. I, 12 <oblivisi non sinit, sed auctorem suum ingerit et inculcat> ibid. 7, 22 <sobrii loquuntur (beneficium), hoc ebrii non continent, hoc ignotis ingerunt>.

§ 9—10 <recte ergo — desinebat>.

Quoniam Seneca in universum exposuit quid postularet, ad amicum ipsum se convertit quidque faciat suadet: Si detur optio inter nimiam celeritatem et tarditatem eligendi, magis ad Vinicii orationem quam Haterii accedat. Cf. p. 23. — *quantum dicant]* i. e. verborum copiam, quae quo celerius verba pronuntiantur eo maior explicari potest. Exstat igitur artissimus conexus inter copiam verborum et pronuntiandi cursum, qua de causa ad <quantum dicant> celeritatis notio, alterum circulantium pronuntiationis proprium, non expresse additum est. — *videris istos]* ita exhibent p L; <audieris> quod in recentioribus codicibus scriptum est videtur correctum esse a librario quodam studioso ad <audisse> (§ 2, § 6) respiciente. Significat autem videre: auf jmd als Vorbild sehen, achten Cic. Pis. 61 quin tu me vides?, ergo non opus est coniectura Madvigii (adv. crit. II, p. 475) qua his mutatur textus aut Haasei (praef. edit. p. XXVI) <mireris> quae offensionem praebet consecutione temporum, exspectamus enim <miraberis> vel <miratus fueris>. — *P. Vinicius]* oratores quattuor qui citantur, a nostro nominantur quasi ipse audierit, quod quidem

certe diiudicari non potest (Mewis l. l. p. 7). P. Vinicius cos. a. 2 p. Chr., exactissimi vir ingenii, qui nec dicere res ineptas nec ferre poterat (S. rh. contr. VII, 5, 11) et pulchre dixit et nova sumpsit ab omnibus bene dicta (id. I, 4, 1), summus amator Ovidii erat (id. X, 4, 25). Sententias eius vide apud S. rh. (I, 2, 3, VII, 6, 11) et colorem I 4, 11 (Prosopogr. imp. Rom. III, p. 436 no 446). — *Asellius]* Non est quod scribamus cum Haase <Arellius> contra libros, commemorantur enim a Suet. Tib. 42 Asellius: <Asellio Sabino sestertia donavit (Tiberius) pro dialogo, in quo boleti et ficedulae et ostreae et turdi certamen induxerat>. Eundem esse Sabinum Asilium (ita libri) venustissimum inter rhetores scurram (Sen. suas. 2, 12) et fortasse Asillium (Suet. Calig. 8) suspicatus est Klebs (Prosop. imp. Rom. I, 159, 1000), audacter quantum attinet ad locum secundum. De Arellio non posse cogitari in epistula nostra ex eo quoque evadat quod Seneca si Arellium Fuscum, rhetorem celeberrimum, voluisset significare, addidisset haud dubie definitionem <pater>, ut facit plerumque Seneca rhetor, vel <filius>, cum essent illa aetate Asellii duo, pater et filius, qui studebant declamatorum rhetorumque arti. — *Geminus Varius]* multis muneribus functus est, orator sublimis (Hieronym. adv. Iov. 1, 28), apud Caesarem blanditias dixit elegantes (S. rh. contr. exc. l. VI, 8; cf. VII, 6, 15; 1, 19). Cassius Severus aiebat alios declamasse, eum virum consilium dedisse eiusque sententiam unice mirabatur (suas. 6, 11/12). Scurrilia dixit ut ei mos erat (suas. 6, 13). Inveniuntur eius multae sententiae, colores, divisiones apud S. rh. Alia invenis in Pros. imp. Rom. III, p. 385 no 187 et indice edit. S. rh. a H. J. Mueller curatae. *tractim]* = lente Gloss. Lat. IV, 186, interpretatio non satis accurata, rectius explicetur tractim adverbio producte. Primus ut videtur transtulit Asellius hoc adverbium quod opp. <raptim>, cf. Gell. N. A. IV, 6, 6 <tractim pronuntiata littera>, Virg. Georg. IV, 260 apes tractim susurrare dicit. Substantivum <tractus> adhibet Cicero (de or. II, 50, 202) cum <haesitatio> coniunctum. — *tria verba]* locutio proverbialis, acerbe pro <pauca> dicta, nos similiter: <er kann keine 3 Worte reden>. Legitur imprimis apud poetas Plaut. mil. 1020, Terent. Phorm. 638, Ov. Pont. 4, 3, 26, Aristoph. nub.

1402, Pindar, Ne. 7, 70, alia exempla collegit Otto l. l. s. v. verba. Non omitto Martialis epigr. VIII, 7 <hoc agere est causas, hoc dicere, Cinna, diserte horis, Cinna, decem dicere verba novem? sed modo clepsydras ingenti voce petisti quattuor. o quantum, Cinna, tacere potes!> — *dic num iam dicas]* verba <dic nunquam dicas> L et <dic num viam dicas> p non esse genuina manifestum est. Conicit Buecheler <numquid>, Madvig <num iam> Ruhkopf <vel nunquam> quibus ex emendationibus quia sensum praebet aptum et ad librorum scripturam prope accedit, praefero <num iam> quod idem fere valet atque Buecheleri <numquid>. *Q. Haterius]* qui excessit de vita prope nonagenarius (Hieronym. chron.), anno 20 p. Chr. n. (Tacit. ann. IV, 61) describitur elegantissime a Tacito (l. c.): <familia senatoria, eloquentiae quoad vixit celebratae; monimenta ingeni eius haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis quam cura vigebat; utcunque aliorum meditatio et labor in posterum valescit sic Hateri canorum illud et profluens cum ipso simul exstinctum est>. Alios locos ad eius vitam pertinentes congestit Dessau (Pros. imp. R. II, p. 126 no 17). Ingenium dicendique genus Haterii depingitur et exemplis confirmatur etiam a Seneca patre qui eum ipse novit (cf. Kiesslingii et H. J. Muelleri indices) multis verbis, imprimis in contr. l. IV, pr. 7—11. Pronuntiatio eius rapida haud scio an optime illustretur Augusti dicto <Haterius noster sufflaminandus est> et ea re quod libertinum adhibuit ad orationem reprimendam et movendam cf. contr. l. I, pr. 15 ubi de Latrone rhetore legimus <immoderati adversus se imperii fuit ideoque studium eius prohiberi debebat quia regi non poterat>. In stilo abhorruit Haterius consulto a scholasticis cum utebatur verbis obscoenis et antiquis quibusdam, quae a Cicerone dicta postea deserta erant. Hac de re atque de sententiis quas tractavit in declamationibus suis ex tempore habitis v. praeter S. rh. (l. l.) Schanz, R. L. II, 1^{2} p. 307, Schmid, der Atticismus I, p. 32, Hoffa, de Seneca patre quaestiones sel., Gott. 1909 p. 37—39.

§ 11—12 <quaedam tamen — profluat>.

In pronuntiatione quaedam singulis nationibus magis aut minus apta esse non omittit scriptor, in Graecis enim *<hanc*

licentiam> i. e. dicendi celeritatem immodicam probari posse, contra Romanorum esse, etiam in scribendo interpungere. Sermonem autem Romanorum magis se circumspicere facilemque esse non celerem Ciceronis ac Fabiani oratione exemplo allata demonstratur. Cicero vocatur gradarius. In Fabiani oratione celebratur facilitas expedita, quae opponitur celeritati concitatae. Attamen tantum abest, ut postulet Seneca promptam orationem et abhorreat a verbis in § 3 et 9 elatis, ut concedat tantummodo philosopho moderatam sedatamque celeritatem; quin fert simul condicionem sequentem: siquis expedite ac sine impedimento dicat, orationem eius non proferri sed profluere vult: distinguuntur verbis <proferri> et <profluere> quasi duo genera pronuntiationis facilis (cf. ep. 114,3 ubi <ire> et <ferri> opponuntur contrario modo): unum quod arte et consilio temperatum est et alterum, quod quia fluit naturali quadam facilitate fusaque abundantia, minus compositum est. Graeci coniungunt <*ῥέοντα καὶ φερόμενον λόγον ῥήτορος*> Plutarch. de esu carn. 994 D — *et nationibus … in Graecis tuleris]* quae verba deberi patris verbis (contr. l. IV pr. 7): <solus omnium Romanorum quos modo ipse cognovi, in Latinam transtulit Graecam facultatem: tanta erat illi velocitas ut vitium fieret> censet Preisendanz (l. c. p. 71 cf. Hoffa, l. l. p. 38) praesertim cum S. rh. aeque Haterii impetum probaret. Verum errat valde quia verba <in Latinam transtulit Graecam facultatem> e contextu eripit et — id quod elucet ex typis intermissis quibus verba efficta sunt — ad nimiam celeritatem refert, non ad facultatem ex tempore declamandi, quam in Latinam transtulit, legitur enim in § 7: <declamabat autem Hat. ex tempore: solus omnium etc.>. Graecis valde placuisse impetum discimus etiam ex suas. 3, 6—7. Quod attinet ad iudicium <in Graecis h. l. tuleris> haud scio an minus severum sit quam patris qui Graecos oratores saepe asperis acerbisque verbis tractat.[1] — *interpungere]* absetzen, abteilen. Romanos non solum in pronuntiando intermisisse orationem et particulas certas quasi servavisse nimirum interspirationis causa (Cic. or.

[1] cf. Koerber, Über S. Rh. und d. Rhetorik s. Zeit, Marb. 1864; Buschmann, Charakterist. d. griech. Rhet. bei Seneca, p. 6, Parchim, progr. 1878.

16, 53; de or. III, 173, 181) sed etiam in scribendo aperte apparet hoc loco. Verba non referri ad antiquorum consuetudinem distinguendi vocem a voce punctis interiectis — id quod eis faciendum erat quia utebantur litteris maiusculis — manifestum est. Qualis contra nobis cogitanda animoque effigienda sit antiquorum textuum Romanorum interpunctio, quae a nostro commemoratur, accurate exponere alienum est a proposito nostro; itaque relego ad Gercke l. l. p. 152 sq., Norden l. l. Nachtrag ad p. 952, Flock, de Graecorum interpunctionibus, diss. Gryph. 08, impr. p. 35. Liceat hoc tantum addere in Senecae epistulis saepissime complures breves sententias sensu tam arte conexas esse, ut copularum inopiam vix moleste feramus et sit probabile Senecam interpunctiones fortes modice usurpasse (Gercke l. l. p. 155). — *Cicero]* de Cicerone cf. adn. ad ep. 100, 7 *gradarius]* non cursu sed gradu utebatur in dicendo, lente procedebat, interpungebat et intermittebat orationem. Imago ab equi gradu petita videtur a Seneca inducta esse. Simillimam metaphoram adhibuit Fronto (p. 156 N) cum dicit de Seneca <sententias eius tolutares video nusquam quadripedo concito cursu tenere ...>. Frontonem in translatione sua ad ep. 40, 11 alludere putat Gercke, fortasse non immerito, sed reputes velim a Seneca etiam vocem <tolutarius> in ep. 87, 10 usurpari, proprie quidem. — *se circumspicit]* <ut in hostili regione versantibus huc et illuc circumspiciendum est> (ep. 74, 3). Ita facit Romanorum sermo. Eodem modo dicitur <se circumspicere> de virtute per prosopopoeiam et translationem (dial. III, 11, 8). — *aestimat praebetque aestimandam]* cf. § 4 <tractandam se non praebet>. Nimirum supplendum est animo <res singulas>. — *Fabianus]* de eo cf. adnot. ad ep. 100, 1. — *expedite]* eandem significationem habere hoc loco quam <facile> et opponi vocibus <concitate> atque <celeriter> contextu manifestum est. Similis notionum relatio est ap. Quintil. XI, 3, 51 loco iam supra citato <promptum sit os (in oratore) non praeceps, moderatum non lentum>, respondent enim <promptum> et <expeditum>, <praeceps> et <concitatum>. Alia vocis <expeditus> oppositio est <impeditus>, a Quintil. VIII, 6, 42 et Tac. dial. 19, 11 de oratione longa et fusa dicta. — Verba <*posses — celeritatem*> posita

esse in patris iudicio contr. l. II pr. 3 <velocissimo et facillimo cursu omnes res beata circumfluebat oratio> recte docet Preisendanz (l. l. p. 70). In eo quoque consentiunt pater et filius quod facilitatem Fabiani ducunt ab orationis copia cf. ep. 100, 12 <ceterum verbis abundabat> et contr. l. II pr. 3 <nunquam inopia verbi substitit... nemo descripsit abundantius>. — *facilitas]* ἕξις. Dicitur in ep. 58, 7 magis de explicandi et scribendi sollertia. Quintilianus distinguit facilitatem arte effectam quam vocat firmam (X, 1, 1 sq. 1, 59, XII, 9, 21) et facilitatem quae naturae bonis debetur (XII, 10, 77, X, 2, 12 cf. X, 1, 111). Plerumque coniungitur cum facilitate notio copiae (Quintil. XII, 5, 1; Propert. I. 9, 15 cf. Rothsteini notam). — *hanc ego — profluat]* <hanc> referri ad facilitatem non miramur, quia <hic> et <ille> saepius a nostro commutantur cf. ep. 114, 3 <non potest aliud esse ingenio aliud animo color si ille sanus est, ... ingenium quoque siccum ... est>. Pronomina <hic iste ille> non tam accurate distingui a Seneca quam a Cicerone et <ille> imprimis usurpari statim perspiciet qui epistulam 114 vel 100 oculis percurret.[1] Quod attinet ad sententiarum interpunctionem facio cum P. Thomas,[2] qui probatur a Hense et Gemoll (WKlPh. 1896 p. 325), et seiungo, alienus a vulgari distinctione a Roßbachio (BPhW. 1896 N 11, 329) comprobata, sententiam <ut ... exeat> ab <exigo>, ut sententiam concessivam. Sic aptior est non solum sententiarum constructio grammatica, cum verba opposita <recipio> et <exigo> regant simul accusativum <hanc> et periodus <ut ... profluat> respondeat optime sententiae praecedenti, verum occurrit etiam Senecae probatio postulationi opposita nobis significantius in anteposita sententia <ut — exeat>, quae est pro <si ... exit>. Sensus, si spectamus in universum, non valde differt, sive separamus sententiam <ut ...> sive non separamus.

---

[1] cf. Hoppe, Über d. Sprache Senecas, progr. Lauban 1877 p. 8. Rolland, De l'influence de Sénèque le père et des rhéteurs sur S. l. philos. (Recueil de traveaux publ. par la Fac. d. Philos. de l'université de Gand 1906.)

[2] Corrections au texte des lettres de S. 1. série (extrait des bull. de l'acad. roy. de Belg. 3. série XXX no. 7, 1895) Bruxelles.

§ 13—14 <eo autem . . . vale!>.

Quibus expositis complectitur Seneca quid censeat de pronuntiatione philosophi: Minime imitandam esse rapidam dicendi celeritatem, cum postulet ab eo, qui utatur ea, non solum impudentiam, sed avocet etiam a rebus ad verba perpetuo studio exercenda. Si vero quis magna opera impensa pervenerit ad finem facultatemque desideratam, temperantia uti philosophum semper opus esse quamvis larga verborum copia suppeditet. Quae cum ita sint suadet Seneca in extrema epistula ut Lucilius sit tardiloquus. Adiectivo <*tardiloquus*> a Seneca ficto, ut videtur,[1] nec verba <stillare verba> paria sunt sensu nec potest <tardiloquus esse> significare rapidi cursus contrarium, potius habet vim <lente dicere> <non uti tarditate nimia atque interrupta>, id quod cum ceteris epistulae sententiis bene congruere videmus. Graece convertatur *βραδέως ἀναβεβλημένως* (Dion. Hal. Dem. 54, 1121, de comp. verb. 170). — *perfrices frontem]* = dignitatem morum exuas (§ 8); metaphora et apud Latinos et apud Graecos usitata cf. Martial. XI, 17, 7 (synonym.: posuitque pudorem), Quintil. 9, 25 Petron. 132. Saepius eodem sensu usurpatur <perfricare faciem vel os> et in Graeco sermone <*παρατρίβεσθαι* (Strabo 13 p. 603) et *τρίβειν τὸ μέτωπον* (Athen. 5 p. 213c) cf. Otto l. l. s. v. facies ubi collecta invenis exempla huc pertinentia. Cum enim in pudore sanguis in faciem diffundatur, solent ii qui pudoris ruborem dissimulare volunt, os manu perfricare, ut rubor perfricando ortus esse videatur. Ut sanguis perfricando in interiora pellatur (Forcellini) fieri non potest. — *exercitatione cotidiana]* cf. Quintil. II, 13: <Multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, pluribus experimentis altissima prudentia, praestantissimo consilio constat ars dicendi>. His ex praeceptis quae vero oratori commendantur, priora tantum a declamantibus et quidem immodice observantur. Sed ut eorum strepitus, ita oratorum quoque pronuntiatio diligenter et artificiose prolata philosophum dedecet. — *decurrere]* de fuso et volubili dicendi genere Quintil. IX, 1, 6 <circuitus nitore decurrentes> ursurpatum; hoc loco ni fallor ironice dicitur, nostro fere sermone <herleiern>.

---

[1] cf. Opitz, De Senecae latinitate Naumburg 1871 progr. p. 9.

Caput II.

De philosophi oratione.

Circumspicienti mihi materiam videtur optimum esse primum interpretari epist. 100, quae habenda est pro expositione in se conclusa neque ullo modo coniungi vel conferri potest cum ep. 40, quia in hac disseritur de pronuntiatione, in illa de oratione ipsa; adiungenda sunt potius epistulae 100 ea, quae legimus in ep. 115; 75; 59, cum his quoque locis praecipiantur compluria, quae noster philosophi orationis propria esse vult. Verum intercedit inter epistulas citatas differentia haec: Expleta est ep. 100 fere tota unius viri elocutionis descriptione, ad quam Ciceronis Pollionisque stili expositio brevissima accedit. Inde eruenda sunt ea quae scriptor philosophorum orationis esse vult. Ceteris in epistulis exempla non desunt. Sed sumit Seneca tantum initium a Lucilii suaque oratione, in sequentibus profert multo plura praecepta, quae ad orationem philosophi in universum pertinent.

§ 1.

Dispositio epist. 100 alia est atque epist. 40, in qua primum Serapionis vitiosam pronuntiationem reprehendi, deinde actione virorum quorundam collata qualem philosophi pronuntiationem esse debeat vidimus: uno enim tenore improbatur vitiosa compositio et laudatur Fabiani oratio. Neque tamen deest compositio: Dilucide composita est epistula tribus ex partibus, quae non solum sensuum contextu distinctae sunt, sed etiam a scriptore eo indicantur, quod praemittit parti cuique aliquam Lucilii vituperationem. Accedit autem Seneca ad expositionem una sententia praemissa, qua quid sit epistulae propositum edoceamur. Prima pars inscribi potest <de compositione> (§ 1—7): reicit enim Seneca Lucilium qui cum verba effunderentur, non figerentur, in Fabiani compositionem invectus est. Nititur autem noster septem argumentis artificiose ordinatis, quorum est primum: In philosophi oratione vel per se iniquum est accusare compositionem; alterum: notio effundendi minime

offensionem praebet; tertium: Fabiani compositio falso definita est a Lucilio, nam fundit orationem, non effundit. Tria haec argumenta arte inter se cohaerent. Separantur ab eis quae sequuntur verbis <sed ita ut vis esse credamus>, quibus Lucilio se assentiri Seneca simulat, quo melius inducat argumentum gravius verbis <mores ille non verba composuit>, id quod Lucilius cognovisset si Fabiani opus non legisset nec singula inspexisset, sed eum dicentem audisset et rerum summae se dedisset. Quoniam noster occasione oblata paucis disseruit de iis qui iudicium aut auferunt aut merent, redit ad argumentum primum cum dicit <oratio sollicita philosophum non decet>, et quod supra tantum pronuntiavit nunc accuratius confirmat. Ut hoc argumentum primo respondet, ita sequens tertio: respiciens ad verba et sententias ostendit Seneca, oratione Fabiani cum domo recta comparata eum non neglegenter sed secure composuisse. Concluditur pars prima argumento quodammodo cum altero cohaerente <de compositione nihil constat>, quae verba duobus compositionis generibus eorumque auctoribus illustrantur. Septem ex argumentis prolatis refertur quartum magis ad operis Fabiani materiam, reliqua quorum ultima primis respondent, ad elocutionem ipsam. In secunda epistulae parte (§ 8—9) agitur de decoro vel dignitate quam observavit Fabianus. Contendit Lucilius orationem esse humilem et parum erectam, negat Seneca, potius esse eam ad tenorem quietum compositumque formatam, planam, sine vigore oratorio, honestam. Quibus virtutibus nisus non dubitat Seneca Fabianum cum maximis Romanorum philosophis qui utebantur prosa oratione comparare. Tertia denique pars debetur tertiae Lucilii vituperationi quae est in verbis <non est fortis (Fabiani oratio) . . . exile>; quorum verborum censura ducit ad epistulae finem (§ 11—12), in quo offensionibus Lucilii reiectis Fabiani dicendi genus disertis verbis describitur, cum opponitur novo dicendi generi corrupto: Postponit Fabianus rebus magnopere eloquentiam; ita fit, ut ei desit singularum rerum diligentia ab aequalibus observata. Virtutes orationis Papirianae sunt, omissa perspicuitate et ingenti sine taedio spatio, imprimis in veritate.

Iamiam ad singula: Pauca de *Fabiano Papirio* vel Papirio Fabiano quo de viro scripserunt: Ruhkopf, qui in editione primus plurimos locos collegit; G. Höfig, de Papirii Fabiani philosophi vita scriptisque diss. Vratislav. 1852, copiosissime agit de gente aetate studiis moribus scriptis fragmentis; quae tamen de dicendi genere conscripsit, versantur in locis singulis sine ulla explicatione congestis; Bernhardy, R. L.^{5} adn. 207 p. 301 et p. 871, 677 (1872), qui de Fabiani oratione non solum non recte iudicat, sed etiam in ipsis verbis quae profert, sibi non constat, dicit: F. ein ausgezeichneter wenn auch trockener Stilist et ein eleganter bis zum Übermaß sorgfältiger Darsteller; unde tractum sit iudicium prius mihi non liquet, alterum nititur ep. 58, 6, qui tamen locus cum ep. 100 minime comparatus est, cf. his de rebus Reuter, de Quintiliani libro qui inscribitur de causis corruptae eloquentiae, Breslau 1887 p. 36 adn. 24 et p. 34 sq.; Teuffel-Schwabe, R. L.^{5} p. 632, 10/11 ubi omnes locos qui sunt de Fabiano invenis; Norden, l. l. p. 306 sq.; Schanz, R. L. II, 1^2 p. 315, 1899. — Erat Fabianus aliquanto minor quam Seneca pater, initio audivit Arellium Fuscum rhetorem, postea transiit ad Sextios philosophos habuitque Blandium rhetorem praeceptorem. Vocatur a Wilamovitzio (Hermes XXXV, p. 19) <halb Philosoph halb Rhetor wie später Dion u. Favorin>. Eloquentiae eius frusta servavit Seneca rhetor. Scripta periere omnia. Praeter libros nostra in epistula commemoratos composuit causarum naturalium libros scripsitque de animalibus, quibus de causis a Plinio maiore (n. h. XXXVI, 15, 24) naturalium rerum peritissimus vocatur. Erat Senecae praeceptor et philosophus carissimus, appellatur (ep. 40, 12) <vir egregius et vita (cf. ep. 11,4) et scientia et quod post ista est eloquentia> qui <solebat dicere non ex his cathedrariis philosophis sed veris> (de brev. vit. X, 10, 1). Describitur autem ex magistris quibus usus est Seneca, Fabiani solius oratio et pronuntiatio copiose et praefertur Fabiano nemo nisi Cicero Pollio Livius. Tanti aestimat Seneca praeceptorem, ut eum ab intimi reprehensionibus summo ardore atque studio defendat, tamquam ipse lacessitus sit. Praeter ep. 40, 12 pronuntiatio eius tractatur in ep. 52, 11 <disserebat populo, sed audiebatur modeste, erumpebat interdum

magnus clamor laudantium, sed quam rerum magnitudo evocabat, non sonus inoffensae ac molliter orationis elapsae>. Elocutio nostra in epistula multis verbis descripta tangitur perpaucis in ep. 58, 6 <F. disertum et elegantem orationis etiam ad nostrum fastidium nitidae>. Cum his locis conferenda sunt Seneca patris copiosa verba de Fabiani dicendi genere in contr. l. II, pr. 1—3 elata. — Scripsit Lucilius amico se perlegisse Fabiani opus quod inscribitur *civilium* scl. rerum. Quibus de rebus fuerit sermo his in libris quorum titulus nullo alio loco citatur evadit paucis ex verbis infra (§ 10) allatis, quibus vituperatur a Lucilio Fabiani scribendi genus: Egerat philosophus de vitiis, ambitione, luxuria, libidine, impotentia, periculis, fortuna. Spectant haec ad Fabiani philosophiam declamatoriam. Num totum opus his rebus completum fuerit et quomodo librorum materia cohaeruerit cum titulo de quo a Lipsio *(αἰτιῶν φυσικῶν)*, Ruhkophio (civilia = *πολιτικά*), Hoefigo l. l. p. 38, J. Bartschio (mus. rhen. 24 (1869) p. 276/77) Mewiso l. c. p. 89/70 multa inutiliter disputata sunt, a nobis non iam erui potest. Ego quidem verisimillimum duco (cf. Baehr, R. L. III, p. 87 adn. 12, 1870) non solum eam partem librorum de qua a Seneca edocemur, verum etiam totum opus generi diatribarum de quibus cf. Norden l. l. p. 129/30 ascribendum esse. Servatae sunt huiusmodi expositiones declamatoriae aut adumbratae aut explicatae a Seneca patre aliis cf. Norden l. l. p. 250 adn. 2 et p. 275—77. Veluti nobis praebetur gustus Fabiani ardoris in contr. l. II, 1, 10—13, ubi eius verba contra luxuriam facta leguntur, in suas. 1, 9 quo loco de varietate fortunae sermo est, contr. II, pr. 2 <quotiens inciderat aliqua materia quae convicium saeculi reciperet inspirabat (Fabianus) magno . . . animo> cf. pr. 3; porro nomino Labienum qui (contr. X, 4, 17sq.) insectabatur saeculi vitia et Latronem qui (contr. I, pr. 23) <solebat . . . aliquo die nihil praeter has translaticias quas proprie sententias dicimus quae nihil habent cum ipsa controversia implicitum, sed satis aperte et alio transferuntur tamquam quae de fortuna de crudelitate de saeculo de divitiis dicuntur>. Collegit Rolland (l. l. p. 32—46) magnum numerum huiusmodi communium locorum, qui magno studio in rhetorum scholis culti etiam apud nostrum leguntur; attamen crediderim

nostrum in reprehendendis vitiis, imprimis luxuria, debere plurima ipsi Fabiano, satis habeo delegare ad ep. 40, 5 <lenienda . . . avaritia> et ep. 100, 10 <desideres . . . frangi> cf. praeterea ep. 114, 9 et contr. II, 1, 11, Nat. Quaest. I, 17, 10 et contr. II, 1, 21, de ira III, 33, 1 et contr. II, 1, 25. — Displicuit autem Lucilio in perlegendis Fabiani libris et argumentum et elocutio. Magnam industriam impendit in legendo opere, sed non respondit exspectationi suae, <*et non*> scribit Seneca pro <et tamen non> vel <sed non>, qua copulatione quia saepe veluti ep. 56, 11; 94, 26 (cf. Gertzii, Senecae operum peritissimi viri, notam ad dial. p. 55, 1) usurpatur a nostro, non est quod offendamus. Eodem sensu quo <et non> utitur Seneca <nec> cf. ad Marc. 1, 2 ep. 54, 6.

Cur Lucilio displicuerit librorum argumentum, infra demum in tertia epistulae parte ostenditur. In sequentibus statim additur particula <deinde>, ad quam ante <scribis> supplenda est animo <primum>, altera Lucilii vituperatio: Accusavit Fabiani compositionem scl. verborum (σύνθεσιν ὀνομάτων). Qua reprehensione quantopere commotus sit Seneca, Fabiani discipulus studiosissimus, intellegimus ex ea re quod vituperatione ipsa nondum commemorata dicit <oblitus de philosopho agi>: statim dicit qua de causa falsus sit in vituperando; vituperationem iniustam esse prorsus omittitur quasi sit res aperta. Apte conferamus cum hoc loco epist. 40, 4, ubi Seneca postulavit, ut oratio philosophi sit incompta et simplex. Quid Gercke vir doctus l. c. p. 135 de sententia <oblitus — accusas> censuerit, intellegere non potui quamvis studuerim eius verba perspicere. — Quoniam Seneca verba <oblitus — accusas> pronuntiavit, ostendit tandem, sed quasi praeteriens et iterum iam ad Lucilium reiciendum intentus, cur amicus compositionem improbaverit: verba effundi non figi. Iam argumentatio oratorum modo ita instituitur, ut demonstretur iniustam esse vituperationem, etiamsi Fabianus revera verba effunderet; nam per se inesse in <effundi> si inveniatur in compositione <*gratiam*> χάριν, esse autem <effundi> *decorem* (i. e. κάλλος, non τὸ πρέπον) proprium orationis leniter lapsae cf. ep. 115, 18 <oratio fluens leniter>. Valet igitur hoc loco

<*leniter labi*>, *πραέως ῥέειν* (Dion. Hal. de comp. 16, 97) de harmonia dictum, idem fere quod <effundi> diciturque de oratione iucunda et placida. Accuratius definitur <*effundi*> sententia sequente in qua ei respondet <fluere>, cum <excidere> significet <immodice et sine ullo ordine verba effundere>. Vocis <*figi*> vis elucet ex opposito vocabulo <effundi>: Qui verba figit, ordinat ea summa cum cura ita ut singula habeant suum locum et ordinem. Suspicor translatum esse <figi> primum a Lucilio ad artem rhetoricam; unde petiverit vix diiudicem. — Verbis <*adice nunc*> — <adice> coniectura recte insertum est in textum ab Henseo editore ut verbum Senecae sermoni proprium cf. p. 25 — inducitur novum argumentum: Falsus est Lucilius cum dicit effundi Fabiani orationem, quippe quae fundatur. Attribuuntur orationi <fusae> vel tractae (Cic. de or. II, 15, 64) *κεχυμένη* (Dion. Hal. de Isocr. 2, 538) qualitates quattuor: 1. est *larga* i. e. verbis abundat cf. § 12, *πλούσιος* (Dion. Hal. Isocr. c. 2—3); 2. *sine perturbatione* i. e. ordinata; 3. *non sine cursu veniens*; 4. *non tractata nec diu torta*, cf. de tranq. an. 1, 13 <inelaborata>, i. e. nulla arte composita; <verba torquere> i. e. quasi vim afferre verbis, *στρέφειν ἄνω καὶ κάτω ὀνόματα* (Dion. Hal. de comp. verb. XXV, 207) cf. etiam *ἄγκυλος*, legitur etiam in ep. 117, 5. Cicero (cf. Causeret, Étude sur la langue de la rhétorique et de la crit. littéraire dans Cicéron, Paris 1886, p. 145 adn. 1) utitur pro verbo simplici a Seneca adhibito composito <contortus>. Huiusmodi dicendi genus denotat S. rh. contr. I pr. 18 cum commemorat illos <qui scripta sua torquent, qui de singulis verbis in consilium eunt veluti Arellius Fuscus, cuius elocutio <operosa (*περίεργος*) et implicata (*πολύπλοκος*)> vocatur (contr. II pr. 1). Singulae res, in quibus posita est oratio torta et simplex, in sequentibus afferuntur. — Ex accurata Senecae definitione vocis <*fundere*> diserte verbo <*effundere*> oppositae apparet Senecam huic tribuere neglegentiam quandam, quae est in nimia orationis copia et cursu; <excidere> significat quasi extremum huius scalae gradum. Similiter utitur Cicero (or. 53, 177) <effundere> et (de or. II, 15, 64) <fusum>, quod cum <tractum et cum lenitate quadam profluens> coniungit. — Ut autem Fabiani

oratio fusa differt ab oratione effusa, ita a torta et elaborata, quae stat ab altera extrema parte ut ita dicam. Tenet igitur dictio Fabiani medium inter duo orationis genera contraria. — *plane fatetur et praefert]* accipiendum est pro hendiadyoin, oratio aperte verbis ipsa pronuntiat et insuper ex ea ipsa, etiamsi tacet, apparet ... — Abrumpens tenorem et ut supra in proferendo argumento primo <puta esse . . .> concedens <sed ita ut vis esse credamus...> transit Seneca ad argumentum tertium: Iniquum esse Fabiani compositionem accusare, cum in libris eius utpote animis moribusque, non auribus et delectationi compositis, rerum summae maior cura attributa sit quam partibus singulis. Quare falsum esse solum ex legendo, in quo animus ad verba magis intendatur, de libris iudicare. Iudicium iustum ab eo ferri posse, qui Fabianum ipsum audierit dicentem. Ac quamquam Seneca non ignorat, ea quae impetu auditores capiant tamquam invitos, si <ad manum referantur> (i. e. accuratius inspiciantur et relegantur cf. imaginem Graecam similia exprimentem <*κἂν ἕκαστον αὐτῶν πρὸς αὐγὰς ἀνασκοπῇς*> auct. de subl. III, 1), saepe singulas offensiones praebere, tamen non dubitat ei palmam tribuere, qui <*iudicium abstulit*>, non ei qui <*meruit*>, nimirum cura dictionis et studio fingendi. Haec verba quae interpretanda et coniungenda sunt cum antecedentibus, nihil aliud valent nisi quod Seneca multo pluris aestimat orationem, quae rerum summaeque impetu valet quam diligentia et cura. Nec habemus, quod offendamus in verbis <maior est qui iudicium . . ,> et <non sine cursu veniens>, quippe quae dissentiant a 40, 4 <quae . . . rapere>, nam in ep. 40 spectant cursus et impetus improbatus ad pronuntiationem rapidam et inanium verborum strepitum, nostro loco cursus ad compositionem facilem refertur, *impetus* ad amorem fervoremque (Begeisterung, die fortreißende persönliche Macht), quo pronuntiantur res magnae. <Solebat dicere Fabianus . . . contra adfectus impetu, non suptilitate pugnandum, nec minutis vulneribus, sed incursu avertendum aciem, non probat cavillationes; eam (aciem) contundi debere non vellicari> (de brev. vit. 10, 1). Eodem modo praedicantur Sotionis, unius ex nostri praeceptoribus, Attali, Sextiorumque impetus, robur, vigor, animus

cf. ep. 108, 17, n. q. VII, 32, 2, imprimis ep. 64, 3 <quantus (in Sextio)... vigor est, quantum animi... (alii philosophi) instituunt disputant cavillantur, non faciunt animum quia non habent: cum legeris Sextium, dices: vivit viget... dimittit me plenum fiduciae>, cf. quae Misch. l. l. p. 238, 246, 247 egregie exposuit de iudiciis, quae Seneca tulit de philosophiae scriptorum vi. Permittit Seneca aliquando etiam iuvenibus fervorem quendam, cum faciunt ex vero animorum impetu, cum silentium sibi imperare non possunt, nam adfert talis laudatio aliquid adhortationis ipsis audientibus et stimulat animos adulescentium (ep. 52, 14). — Cum impetu, quem philosophus animi sinceritate rerumque magnitudine efficit, non confundi debet impetus oratorius, qui a Plinio (ep. IX, 26, 2) commendatur et a declamatoribus in vitiosum augetur. Occurrit autem inanitas impetus declamantium maxime ei, qui declamationes legit scriptas, nam sublatis gestibus vultu pronuntiationisque sono remanent verborum luxus et abundantia, quae carent plerumque nervis; si vero inveniuntur in eis res, angustias esse in pronuntiatione verbis tectas legenti apparet. Hoc ne Senecam quidem, artis rhetoricae amantissimum virum, effugit. Postquam enim novem controversiarum libros conscripsit, fatetur initio praefationis contr. l. X se primo libenter operam dedisse studiis iuvenilibus, sed iam rem taedio esse seque pudere tamquam agat rem non seriam, nam: <leviter tacta (scholasticorum studia) delectant, contrectata et propius admota fastidio sunt>,[1] ut imagines illae Ciceronis aetate pictae de quibus Cicero (de or. III, 25, 98) <diutius non delectant quae primo aspectu nos ceperunt>. — Vidimus autem Fabiani quoque orationem minorem habere vim lectam quam auditam. At abest a declamantium vitiis, quia causae quibus nititur similitudo, longe aliae sunt: in Fabiano offensioni est verborum compositionisque neglegentia quaedam, quae praeterit audientem rerum magnitudine occupatum, contra in declamantibus rerum inopia. Quam differentiam

[1] Num noster ad hoc patris iudicium respiciat (Rolland l. l. p. 25) in verbis in universum dictis <sunt enim qui fastidiant quidquid propius adierunt. Sed nec virtuti periculum est ne admota oculis revilescat> (de tranq. an. 17, 2) dubium est praesertim cum pars prior <sunt enim . . . adierunt> a patris verbis prorsus dissentiat.

illustrat egregie S. rh. in describendo Cassio Severo (contr. III pr. 3), cuius dicendi genus nostri orationis simillima est: <non est quod illum ex his quae edidit aestimetis . . . auditus longe maior erat quam lectus non hoc ea portione illi accidit qua omnibus fere, quibus maiori commendationi est audiri quam legi . . . gravitas actioni supererat: quamdiu citra iocos se continebat, censoria oratio erat . . . 2 cum dicebat rerum potiebatur: adeo omnes imperata faciebant>.

In sententia: <*si me interrogas, maior ille est qui iudicium abstulit quam qui meruit: et scio hunc tutiorem esse scio audacius sibi de futuro promittere*> nonnulla grammatica et critica animadverto: Verba <*si me interrogas*> (cf. eadem ep. 58, 25; 96, 1; Tacit. dial. 18, 26) quae nihil sonant nisi <quod ad me attinet, mea quidem sententia>, pro detractione accipienda sunt, quam ex sententia primaria supplere haud difficile est. — <*Iudicium*> vertendum est vocibus <ein zustimmendes Urteil, die Anerkennung> ut possit coniungi una cum <merere> et <auferre>. Qua re iudicium auferatur aut mereatur, expressis verbis quantum quidem ad alterum attinet non dicitur, scl. impetu aut dicendi cura. Particula <*et*> habet sensum adversativum <und dennoch, obwohl> cf. de const. sap. 11, 2, de ira II, 36, 1 et 5, III, 26, 3, ep. 17, 6; 38, 2 etc. similiter atque <et non> in § 1. In interpretanda sententiae altera parte errat, ut credo, Bartsch, l. l. p. 283 qui librorum lectionem <scio audacius> commutavit in <istum audacius>, quod a priore sententia discreparet altera nisi proferretur in altera virtus, quae esset propria eius <qui abstulit iudicium> et responderet virtuti eius qui meruit in priore sententia allatae, neque enim dici potest eum qui audientes auferat audacius sibi de futuro promittere (i. e. posse aetatem ferre semper eadem parique vi usum qua dicentem), cum paulo ante dictum sit hunc primo praecipue aspectu oculos occupare. Potius referenda sunt verba ad eum qui iudicium meret: Hic non solum in praesenti tutior est, verum prospicit etiam securius et audacius in futurum, quia neglegentiae argui non potest; accedit quod duplici verbo <scio> sine ulla coniunctione adhibito sensus adversativus offertur multo gravius; denique exoreretur inanis sententiarum conexus, si interpraetaremur cum

Bartschio: maior est ... meruit quamquam (et) scio hunc tutiorem esse, quamquam scio istum sibi de futuro promittere audacius.

Non licere philosophi compositionem reprehendere tetigit Seneca supra perpaucis. Nunc affert causam: <oratio sollicita non decet philosophum: ubi tandem ... verbis?>. Posita est in relatione quae exsistit inter orationem et animum: Qui verbis timet anxium timidumque se praebet aliis quoque in rebus, quod argumentum quanti momenti sit nostris in epistulis, saepius in sequentibus videbimus. — *sollicitus]* cf. ep. 75, 5 <non sollicito>, synonymum est vocum <accurate (*ἀκριβῶν*[1]) loqui, putidum esse (75, 1), verbis timere (100, 4)> ac significat orationem nimia cura studio artificio elaboratam. Coniungitur a Quintil. (IV, 2, 126) eodem sensu cum <fictum>, cf. etiam l. VIII pr. ubi sollicitudo est cura aucta <curam verborum, rerum volo esse sollicitudinem>. Quae sollicitudo declamatorum praecipue propria, quo interdum duxerit intellegatur ex Albutii exemplo, de quo S. rh. contr. VII, pr. 6: <tristis sollicitus declamator et qui de dictione sua timeret, etiam cum dixisset: usque eo nullum tempus securum illi erat; haec illum sollicitudo fugavit a foro et tantum unius figurae crudelis eventus>. Similiter declarat Dionys. Hal. (Lys. 30, 521) sophistarum esse <*μικρολογεῖσθαι καὶ περὶ τῶν ὀνομάτων μάχεσθαι*>.

§ 5 <Fabianus non erat neglegens. — ... medio>.

Verbis nimis operam dare philosophum dedecere ostendit Seneca in antecedentibus tractatque idem propositum in ep. 115, 1—2 et 75, 1—7. Verum tantum abest ut philosophum compositionem prorsus neglegere velit, ut pergat sententia in sequente sine ulla copula adiuncta laudare Fabianum quod sit securus in oratione: tenet igitur medium inter scriptorem neglegentem et putidum. Neglegens et securus opponuntur a Seneca, neglegens et simplex a Quintil, (X, 2, 16); idem igitur quod hic voce <simplex> laudat, significat ille vocabulo <securus>, et hoc et illud inter sollicitum et neglegens est, quin etiam effert

---

[1] Vox <accuratus> cum Graeco <*ἀκριβὴς*> non prorsus congruit, neque enim dici potest ut *ἀκριβής*, de quo cf. Geigenmueller, p. 14 et 20, simul de diligenti observatione proprietatum linguae (= purus *καθαρός*).

Seneca ipse (ep. 40, 4) <oratio (philosophi) . . . esse debet simplex>. Quibus rebus nitatur <securum esse> demonstratur paucis sed aptis verbis. Ac primum quidem expediuntur ut exspectamus singula orationis verba, de quibus dicuntur tria; deinde est sermo de verborum ordinibus vel coniunctionibus, de sententiis quorum sensus et forma tractatur. Deest <*sordidum*> (*τὸ ῥυπαρὸν* Dion. Hal. de comp. verb. XII, 69) orationi eius Sordida autem verba adhaerent orationi neglegentis auctoris, Quintil. (II, 5, 10) numerat <sordida> in orationis corruptae vitiis. Evitabantur magna cum diligentia a declamatoribus. Qua de causa dicebat Albucius declamator, ne putaretur scholasticus, res sordidissimas velut acetum puleium lanternas spongias (S. rh. contr. VII, pr. 3, Suet. vita Albuti, p. 126, R. cf. contr. I, 2, 21; IV, pr. 9; IX, 2, 25; X, 1, 13; et Rebling, Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangssprache progr. Kiel 1873 p. 20 sq.). <*Electa*> vocantur verba Fabiani, nimirum pertinet <eligere> ad vim verborum et opponitur <*captare*>, quod dicitur de eis, qui in verborum delectu nimis solliciti vocabulorum alienas rarasque significationes usurpant cf. ep. 108, 35 ubi reprehenduntur qui verba prisca aut ficta et improbas dicendi figuras captant, ep. 33, 7 flosculos captare. Ne in verborum quidem collocatione facit Seneca cum aequalibus suis qui verba contra naturam ponunt atque invertunt, qua de re cf. ep. 114, 4 (insignita), 8 (verba tam improbe structa tam contra consuetudinem omnium posita . . . orationis portentissimae, verba transversa), S. rh. contr. II, pr. 1 suas. 2, 23.

Ita Fabiani oratio <splendida> est, quamquam adhibentur usitata verba; scribo cum ς <*e medio*>, cum <e> cum <sumere> similive verbo coniunctum inveniatur apud Ovid. a. a. III, 479 (e medio consuetaque verba), Cic. de or. III, 45, 177 (sustulimus verba e medio), <a medio> nusquam indagavi, contra legitur <de medio> saepius, Cic. or. 49, 163 (sumpta de medio oppos. exquisita ad sonum), Hor. a. p. 243 (de medio sumptis), Cic. de domo sua 138 (sumpta de medio). Graeci similiter dicunt *ὀνόματα κοινὰ καὶ ἐν μέσῳ κείμενα* (Dion. Hal. Lys. 3, 455). Vox <splendor>, cum qua Graecum *λαμπρότης* a Hermogene (II p. 304 Sp) *μεγέθους* ideae subiectum compono,

etsi nusquam inter virtutes oratorias enumeratur (Geigenmueller, p. 54 adn. 2), summi momenti est in oratorum rhetorumque thesauro. Duplici modo dicitur aut de sermone puro et claro (Cic. Brut. 88, 302) nostro sermone sprachliche Reinheit und Korrektheit aut de orationis elegantia et nitore, quem varia ratione parari posse hoc ex loco evadit. Fabiani oratione discimus splendorem non solum pendere ex verbis splendidis, quorum in usu modum excesserunt multi declamantes, cum usurpabant nulla alia nisi splendida verba et evitabant necessaria atque in usu posita (ep. 114, 14) cf. contr. III pr. 7: <habebat (Cassius Severus) phrasin non vulgarem nec sordidam sed electam>. Fabiani splendor debetur cotidianorum verborum usui recto aptaeque positioni, nam <*πολλοὶ οὐκ ὄντες ὑψηλοὶ φύσει . . . ὅμως κοινοῖς καὶ δημώδεσι* (e medio sumptis) *τοῖς ὀνόμασι καὶ οὐδὲν περιττὸν ὡς τὰ πολλὰ συγχρώμενοι διὰ μόνου τοῦ συνθεῖναι καὶ ἁρμόσαι ταῦτα δ' ὅμως ὄγκον καὶ διάστημα* (splendor) *καὶ τὸ μὴ ταπεινοὶ* (humiles sordidi) *δοκεῖν εἶναι περιεβάλοντο* (auct. de subl. 40, 2)>, idem Dionys. Hal. de comp. verb. c. 3. Laudatur autem Fabianus a Seneca eo magis quod <idiotismus est inter oratorias virtutes res quae raro procedit: magno enim temperamento opus est et occasione quadam> (S. rh. contr. VII, 5) cf. Dionys. Hal. art. rhet. X, 7, auct. de subl. XXXI, 1, XLII, 1. Ac profecto non est vulgaris auctoris, quae per se vilia sunt, prudenter uti et tam apte disponere, ut cultui et ornamento sint. Propterea non est, quod miremur Fabianum vocari (ep. 58, 6) disertum et elegantem; quod attinet ad additamentum <orationis etiam ad nostrum fastidium nitidae (i. e. fein, schmuck oppos. horridus, incultus)> manifestum est id dictum esse a Seneca, Fabiani laudatore, quasi pleno ore; porro consideres nostrum non abhorrere a postulationibus suis, cum laudat Fabianum ita dicentem, quia debentur oratoriae virtutes Fabiani non curae laboriosae sed auctoris ingenio cf. ep. 75, 5.

§ 5/6 <sensus honestos et magnificos habes . . . recta est>.

Ut verborum delectum ita opponit Seneca sententiarum Fabiani compositionem novorum compositioni et dicendi generi. Ex hac accuratius descripta eruenda sunt, quae Seneca de Fabiani compositione censet et supplenda, quae diserte profert.

Ex epithetis <*honestos et magnificos*> (*ἀξιωματικοὺς καὶ μεγαλοπρεπεῖς*) et opposita notione <sententia> apparet ad operis materiam referri primae sententiae priorem partem. Sensus sententiarum ante formam tractantur, cum graviores sint. Verba <non ... dictos> pertinent ad formam, qua expressi sunt sensus. Voces <*sensus*> et <*sententia*> vim habent multiplicem, quam quia persaepe fluctuatur accurate definire difficillimum est. Haud scio an expediat haerere paululum in definiendis his notionibus, quae in epistulis nostris saepe usurpantur et a S. patre Quintiliano Tacito similiter distinguuntur. Magnam exemplorum partem debeo commentariis, quas conscripserunt viri docti Andresen (1877) et Gudeman ad Taciti dialogum. Quae intercedat differentia inter duas voces ad *πραγματικὸν* et *λεκτικὸν τόπον* spectantes discimus ex Quintil. VIII, 5, 1: <sententiam veteres, quod animo sensissent, vocaverunt (*γνῶμαι* Gedanken) id cum est apud oratores frequentissimum tum etiam in usu cotidiano quasdam reliquias habet ... sed consuetudo iam tenuit ut mente concepta sensus vocaremus, lumina autem praecipueque in clausulis posita sententias cf. XII, 10, 48 <ceterum hoc quod vulgo sententias vocamus quod veteribus praecipueque Graecis in usu fuit, apud Ciceronem enim invenio ... feriunt animos ... et ipsa brevitate magis haerent et delectatione persuadent>. Hac in definitione acquiescere non possumus, potius distinguendae sunt duarum vocum trinae significationes. Vox *sensus,* proprie Sinn, Gefühl = *αἴσθησις* (*ὁρατική*), valet ad res quae tractantur pertinens mente concepta Gedanken *νοήματα* vel *νοήσεις* nostro loco, ep. 108, 10 (sensus nostros), ep. 75, 2 (sensus exornare ... abicere), ep. 114, 1 (sensus audaces [opponuntur sententiae abruptae]), ep. 114, 8 (sensus miri, magni quidem saepe sed enervati), Tac. dial. c. 23, 21 (gravitati sensuum), c. 31, 25 (communibus sensibus Gesichtspunkte), c. 32, 17 (paucissimos sensus i. e. locos communes, singularis species mente conceptorum), aut verborum ambitus (cf. Cic. Brut. 44, 162) quae vis in Taciti dialogo praeponderat cf. c. 20, 14 (sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit), c. 21, 18 (inconditi sensus), c. 22, 13 (pauci sensus terminantur, nulli sensus ... componuntur), c. 23, 3 (tertio quoque sensu),

S. ep. 114, 11 (sensus praecidant; fortasse cogitandum est etiam de mente conceptis simul hoc loco) aut Sentenz cf. Quintil. IX, 3, 74 <inanis affectatio cum in acris incidit sensus, innatam gratiam videtur habere cf. 76 et hoc quotiens in sententias acris incidit. — Vox <*sententia*> significat mente concepta ap. Tac. c. 21, 11 (verbis ornata et sententiis), c. 23, 23 (ea sententiarum planitas), c. 26, 8 (lascivia verborum et levitate sententiarum), lumina bon mot Pointe in ep. 94, 27 <prosa oratione in sententiam coartata>, 100, 8 (subiti ictus sententiarum), Tac. c. 20, 16 (vide supra), c. 22, 7 (et quasdam sententias invenit), c. 23, 2 (et illud pro sententia positum „esse videatur", c. 32, 18 (angustas sententias), passim apud S. rh., verborum ambitus in ep. 114, 1 (abruptae sententiae), 114, 16 (non tantum in genere sententiarum vitium est si aut pusillae sunt et pueriles . . .), 114, 17 (amputatae sententiae), 114, 11 (sententia pependerit), Quintil. X, 1, 130 (si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset) etc. De translaticiis denique sententiis Gr. *γνῶμαι*, quae inter progymnasmata ab Aphthonio et Theone numerantur cf. p. 37. — Laudatur autem Fabianus primum propter res magnas in opere tractatas. Sensibus honestis in quibus inest magnificentia dignitas splendor, oppositae sunt humiles (Quintil. V, 7, 14, IV, 1, 16, XI, 1, 42) inanesque declamatorum. Deinde id laudi est, quod Fabianus res <*latius*> i. e. fusius (cf. Graecum *πλατὺς* Dionys. Hal. Dem. 19, 1010) explicans, nimirum quam novi, discedit a novorum more omnia perpaucis exprimendi, de quo optime Norden, l. l. p. 280—85. Quae iam sequitur sententia, multis, diversisque verbis tractata est a viris doctis Jahn, prol. ad Pers. sat. p. CXII, Madwig, adv. crit. II, p. 501, cf. p. 487, Bartsch, l. l. p. 283, Gercke, l. l. p. 136, Joh. Mueller, Ber. d. Kais. Akad. d. Wiss. Wien 136 (1897), p. 8 adn. $^1/_2$ et p. 7. Inducitur enuntiato <*videbimus quid*>, quod non raro ut in ep. 13, 7, 75, 5, 108, 19, de benef. IV, 37, 5 legitur apud Senecam: traducit ad sensum, quem scriptor non accurate persequitur sed tangit, quia in re quae tractatur parvi momenti est. Simulat autem se in futuro reversurum esse denuo ad rem commemoratam. Respicientibus nobis eos locos, quibus quae sequuntur non per oppositionem adiuncta sunt ut hoc loco, ep. 75, 5, 116, 5,

sed adverbio <interim> ut in ep. 83, 18, 108, 19, etc. aut etiam pluribus verbis additis (ep. 13, 7, de benef. II, 20, 2), occurrit conexus nostri loci fere hic: „Was zu wenig . . . ist, werden wir ein ander Mal sehen, jetzt möchte ich nur soviel sagen: Wenn Du alles überblickst, wirst Du . . . finden.“ Iamiam ad loci cardinem: In tertio sententiae membro libri dissentiunt. Scriptum est <non> in recentioribus, deest in BA. Qua in re diiudicanda proficiscimur ab interpretatione verborum <huius recentis politurae>. Politura, quod substantivum idem fere significans atque levitas, nullo alio loco translate usurpatum inveni, cum adiectivum politus *συνεξεσμένος λαῖος γλαφυρὸς* saepius legatur, appellatur dicendi forma venustior et elegantior effecta ex apta concinnaque verborum ac membrorum structura numerosaque compositione. Excolitur a recentibus aeque atque sequentes virtutes duae, quarum altera cum politura etiam a Cicerone (or. 5, 20) componitur <alii levi et structa (oratione utuntur) oppos. alii aspera tristi horrida neque perfecta>: oratio *recisa* i. e. brevis circumcisa abscisa *σύντομος* cf. Plin. ep. I, 20, 8 <quae latius dixerit postea recisa et repurgata in unum librum coartasse>, et *structa* = artificiose str. cf. Cic. Brut. 33, 274; de or. III, 171; or. 44, 140, 149) qui addit voci metaphorice adhibitae vocabulum <quasi>, et ep. 114, 7 <verba structa>; in Graecorum dictione rhetorica respondet *ἁρμόττειν*, unde *ἁρμονία*. Respondent vero sibi tria membra, accurate collocata unum iuxta alterum. Primum atque secundum continent particulam negativam <parum>, qua de causa ne in tertio quidem <non> deesse debet. Adde quod oppositioni quae est in antecedentibus inter Fabiani copiosas sententias et recentium brevitatem, respondent verba <si omnia . . . angustias> — <*angustias*> proprie Die Enge refertur ad <*sensus coactos* (Gr. *ἐσφιγμένους* Geigenmueller p. 92) *in sententiam*>, cf. Cic. Caecin. 84 <me ex hoc campo aequitatis ad istas verborum angustias revocas>, S. ep. 102 <non debet hoc nobis esse propositum arguta disserere et philosophum in has angustias ex sua maiestate detrahere> quo loco Madvigii coniecturam <argutias> pro <angustias> in dubium vocari recte monuit J. Mueller l. l. — inter hos duos sensus sparsa est

parenthesis supra explicata. Coniecturae Schweighäuseri et Bartschii, quorum ille mutavit triplicem <quid> in <quod>, hic attribuit <sit> correctori sedulo qui <quid> non recte intellexerit, laborant falsa interpretatione totius loci non cum similibus comparati. — Clauditur argumentatio sententiae <Fab. non erat neglegens . . .> imagine egregia, in qua domus simplex et luxuriosa conferuntur cum Fabiani oratione simplici et novorum sollicita. De imaginis singulis haec: <*varietas*> (*ποικιλία*) marmorum spectat ad varios lapides alienarum gentium (ep. 8, 4/5), ut Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta (ep. 86, 6), ex quibus exstruebantur domus divitum, nimirum vult S. intellegi his vocibus aetatis suae genus dicendi *ποικίλον* vel *ἀνθηρὸν* de quo cf. S. rh. contr. l. IX pr. 1. <*Concisura aquarum*> est divisio aquarum quae, perlucentes ad imum piscesque plerumque continentes deduci solebant in cenationibus praesertim aestivis per minutos canales vel fistulas aquarias, ut aeris temperies leniretur animique aquarum fragoribus avocarentur (de tranq. an. I, 5, provid. 3, 10, nat. qu. 3, 17). <*Cella pauperis*> das Armenstübchen: ut divites cum eos divitiarum taedium ceperat, quosdam dies sumebant, quibus humi cenarent et remoto auro argentoque fictilibus utebantur duroque pane, ita voluptatis causa ex atriis cubiculisque magnificis in cellas ad id ipsum paratas se conferre solebant, ubi viliorum more grabatum et sagum adhibebant (ep. 18, 7; 20, 13; ad Helv. XII, 2; S. rh. contr. VII, 6, 4 etc.). <*Domus recta est*>: proprie dicitur de domo, quae non corrupta est nimio luxu neque laquearibus et marmoribus pellucet neque eleganti tectorio aut lacunari perpolita est, sed laudabilem quendam mediocritatem ostendit, ein wohleingerichtetes Hauswesen. Adhibetur enuntiatum, quod non est proverbium (Otto, l. l. s. v. domus), translate de Fabiani genere dicendi simplici, quod caret luxuriae vitio. Sic usurpatur etiam <recta cena, recte vivere, rectus apparatus, recti homines etc.>. Haec imago domorum luxus cum oratione luxuriosa compositi explicatur copiosius in ep. 114, ubi non solum comparatio ad totam vitam delicatam propagatur, sed etiam demonstratur conexum causae esse inter vitam et orationem corruptam. In Tac. dial. c. 22 comparat Aper,

recentium assecla studiosus, Ciceronis orationem aeque cum domo (cf. 20): <et velut in rudi aedificio firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens ... ego oratorem non eo tantum volo tecto tegi quod imbrem ac ventum arceat . . .>, similem imaginem adhibet auctor de subl. X, 7 fin.

§ 6 <adice nunc quod de compositione ... respondeant>.

Venit Seneca in prima Lucilii vituperatione improbanda ad ultimum argumentum: Varia sunt compositionis genera; itaque unum esse rectum iniquum est dicere. Hoc argumentum respondet secundo supra prolato: etiam in effundendo inesse laudem. Ex compositionis generibus satis habet noster enumerare duo in universum, in ep. 114, 15 pluribus verbis compositionis singula genera tractantur. Primum depingitur compositio compta, deinde aspera. Rursus igitur invenimus duo contraria, hoc pugnat illi. Quid scriptor censeat de eis, utrum probet an improbet non aperit diserte hoc loco, quo id agat solum ut varia esse compositionis genera quorum quidlibet vivendi quasi ius habeat demonstret. Alia est res in ep. 114, ubi occasione iudicandi oblata asperam et comptam compositionem, si adhibentur a philosopho, in vitiosis generibus numerare non dubitat. — Sententia <*de compositione non constat* (sc. opinio)> apte quadrat ad sensum in ep. 114, 13 de tota oratione pronuntiatum: <oratio certam regulam non habet>. Quibus ex verbis siquis colliget omnino reiecisse Senecam dicendi leges atque artem falsus est; potius praestat noster se scriptorem orationis naturae peritissimum, cum concedit singulis orationis generibus ius vivendi ut ita dicam. In ep. 114 autem inquirit diligenter quomodo orta sint corruptae orationis genera, priusquam vituperat. Ita facientem non impediri, quominus certo generi ipse ut erat philosophus se applicet nemo negat, cf. ad haec ep. 114, 13 not. Prius compositionis genus describitur perpaucis, in quibus legitur mirum enuntiatum <*ex horrido comptam*>. Comptus *κομψὸς* opponitur voci <horridus>, quae saepe legitur una cum <antiquus> ut Cic. Brut. 17, 68; 21, 83; de or. III, 25, 98, *αὐχμηρός*, quod adiectivum cum *ἀκόσμητος* (Dion. Hal. Thucyd. 51, 942) coniungitur. Opitz (l. l. p. 22 cf. p. 14—17) numerat <ex horrido>

iis in adverbiis quae ex neutris adiectivorum praepositionibusque composita et Graecorum dictionum ἐξ ἴσου loco ἴσως etc similia Seneca imitatus poetas induxit multa in prosam orationem eodem sensu quo adverbia <valde etc.>, quibus augetur vis adiectivi, et addit (p. 17) <nescio an Senecae cum haec scriberet observatum fuerit quod exstat ap. Cic. or. 9: <putant enim qui horride inculteque dicat modo id eleganter enucleateque faciat eum solum Attice dicere>. Comprobo nec exemplum allatum nec interpretationem verborum, quia hoc modo deletur contrarium quod est nostro loco. Ut enim in sequentibus duo exempla verbis <at contra> acriter opponuntur, ita <ex horrido> et <comptam>, <aspera> et <mollius>. Quaecumque horrida sunt, evitantur a compte componente, quae molliora ab aspere dicente. Quo melius conspiciatur contrarium, <comptam> positum est iuxta <horridum>. De neutrius generis usu pro feminino ad compositionem spectante, non habemus quod admiremur. Exempli causa conferatur Colum. VI, 29 <mores laudantur qui sunt ex placido concitati et ex concitato mitissimi>. Vocem <horridus> a corporis condicione habituque translatam et in arte technologica rhetorum usitatam num accipiamus pro simplex schlicht natürlich vel malam in partem pro rudis ungehobelt ohne Politur, nihil refert in loci sensu interpretando. Forbigeri versio „aus dem Rauhen ins Zierliche hinüberspielend“ mira est, ne dicam perversa. Fusius quam compositio polita tractatur aspera opposita, quae aliis verbis describitur in ep. 114, 15. Agi hoc loco de aspera compositione modum excedente, non moderata nemo non intellegit. Intemperantia autem asperorum in eo est, quod contra naturam aspere componunt, ac commemorantur quidem duo singularia vitia: Dicuntur consulto aspere, quaecumque fortuito mollius leniusve exprimuntur, et clauduntur sententiae exeuntes ex industria aliter atque ex initio exspectatur. — *clausulas abrumpunt].* Cum in compositione polita id praecipue agatur, ut quam plurimae sententiae terminentur certis modis qui plerumque cum sententiarum sensu consentiunt, student sectatores contrarii generis compositionis clausulas *βάσεις* vel *τέλη* (Roberts), quod nomen numerosis sententiarum finibus est, tollere, sed tantum

abest ut tollantur totae, ut initium clausularum ponatur et finis subito omittatur. Errare Blaßium (die (Rhythmen d. asian. u. röm. Kunstprosa, p. 134 et 38/39, 1905) cum interpretatur illos vitasse responsionem earundem clausularum iam Kroll (B PhW. 1906, p. 1196) paucis animadvertit. Nequaquam potest <respondere> hoc loco significare <korrespondieren>, est potius e re militari petitum eodem modo quo ap. Cic. or. 59, 200 et praecipue de or. III, 191/190 <ipsi occurrent (numeri) se offerent et respondebunt non vocati>. Percutiebantur autem Romanorum aures clausularum abruptarum inaequalitate (cf. ep. 114, 15) eo magis, quod tam periti erant conclusionum, ut extremum semper exspectantes initio audito saepe ipsi finem praedicerent cf. Ciceronem or. 59, 199 et imprimis auct. de subl. XLI, 2 <*τὰ τοῦ ῥυθμοῦ ὡς ἐνίοτε προειδότας τὰς ὀφειλομένας καταλήξεις ὑποκρούειν τοῖς λόγοις καὶ φθάνοντας ὡς ἐν χορῷ τινι προαποδιδόναι τὴν βάσιν*> i. e. clausulae finem, quem Zielinski vocat „Cadenz". In asperis scriptoribus numerat S. rh. (contr. III pr. 18) Cassium Severum et Quintil. (IX, 4, 31) Domitium Afrum, qui <solebat traicere in clausulas verba tantum asperandae compositionis gratia . . . adeo refugit teneram . . . voluptatem, ut currentibus per se numeris quod eos inhiberet obiceret>. Orationem asperam (synonym. exiliens, salebrosus § 7, hians durus dissolutus cf. Quintil. VIII, 6, 62; IX, 4, 142; Gudeman, Tac. dial. p. 122 Gr. *τραχὺς* vel *σκληρὸς*) imprimis a Stoicis usurpatam esse ut aptissimam philosophiae suae (Cic. de fin. IV, 28, 78 de or. II, 38, 59; III, 18, 66) satis constat. — Quod attinet ad clausulas quae inveniuntur nostris in epistulis ad orationem pertinentibus animadverti in ep. 114 minus curae positum esse in numero quam in ceteris epistulis. Studio et amore adhibetur – ⏑ – – ⏑ (circa 137ies occurrit mihi hic numerus ep. 40, 59, 75, 100, 114 perlustranti), sequitur duplex creticus (ca. 80ies), – ⏓ – | ⏑ – (26ies), ⏓⏓⏒ – ⏑ – ⏒ (17ies), – ⏑ | – ⏑ ⏑ – (14ies), – ⏑ ⏑ – | ⏓ ⏒ (5ies). Clausulas quas primo et altero loco enumeravi etiam ab aliis scriptoribus saepe appeti notum est. Non permissae habentur clausulae – ⏑ ⏑ – – ⏑, at cf. his de rebus Zielinski, D. Klauselges. in Ciceros Reden (Philol. Suppl. IX, p. 593 sq.); Norden, l. l. p. 135 sq., 310 sq.;

Blaß (l. l. p. 134/35, 137, 139, 143) qui epistulae 100 et 114 numeros accurate enodans errat cum accipit pro membris correspondentibus: –rĭs ōrātĭō quǣrĭs = ēxplĭcātĭō vĭgērēt (ep. 114, 1), Volkmann, Rhetorik d. Gr. u. R. p. 522 sq.; Geigenmueller, p. 89; K. Ziegler, praef. ad Iul. Firm. Mat. de errore lib. comment. philol. 1907, p. XIVsq.

§ 7 <lege Ciceronem: compositio ... adstricta sunt>.

Duorum compositionis generum exemplis utitur Seneca Ciceronis et Pollionis compositionibus, quas duplici sententia describit. Quid dicere velit quantum quidem ad singula attinet, haud facile est intellectu, praesertim cum libri uno loco, qui ad verba de Cicerone facta summi momenti est, offensioni sunt. Ne id quidem nobis certo adminiculo est, quod in ep. 114, 16 de Ciceronis compositione in vitiosis generibus compositionis numerata exponitur, cum hoc quoque loco offensiones quaedam occurrant, legimus autem: <quid illa in exitu lenta qualis Ciceronis est devexa et detinens nec aliter quam solet ad morem suum pedemque respondens> quibus de verbis cf. adnot. Senecam esse rectum cum dicit Ciceronem reddidisse orationem Romanam ex horrida comptam non opus est accurate exponere, e. g. cf. Tac. dial. c. 22 <illi (scl. Ciceronis aequales) antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat ... primus excoluit (cf. comptam) orationem, primus adhibuit ... compositioni artem> et Cic. or. 50, 168 <meae (orationes) ... perfecto completoque verborum ambitu gaudent>. Vocatur autem eius compositio <*una*> i. e. unum sequitur dicendi tenorem peraeque, eadem vel simili modo structa est, non salit nec hiat. Idem est in verbis <*omnia desinunt*> et <nec aliter quam solet ad m. s. p. r.>. Siquis suspicetur reprehensionem quandam adhaerere voci <una>, cum esset <eintönig> et dicat persaepe accidere auctoribus novam viam ingredientibus ut modum excedant, relego ad descriptionis verba, quae sequuntur, in quibus non solum non vituperatio, verum potius laus est. Accedit in descriptione alterum et tertium: <*pedem curvat lenta et ... mollis*>. Nimirum verborum pondus est in attributis <lenta> et <sine infamia mollis>, quibus vocibus explicatur verbum <pedem curvat>. Legimus vero <pedem curvat lenta>

in BA, <servat pedem curvat lenta> in ς et scripsit Haase <pedem servat lenta>, Ruhkopf <pedem servat, curata, lenta et> verba duo quantum potest fieri retinere studens, Hense sequitur BA. Librorum scripturas perlustrantes miramur statim in libris recentioribus exhiberi duo verba simillima <curvat> et <servat>, quae quin facile confundi potuerint nemo dubitat. Cum verbo <servat (pedem)>, quod omittitur in melioribus codicibus, idem exprimatur, quod verbis <compositio una est>, in eo mendum esse probabile est eo magis quod et <servat (pedem)> et <curvat pedem> — <pedem> vel <eum> ad curvat supplendum esse manifestum est — a Seneca scriptum esse vix credat quis, ac censeo <servat> esse dittographiam corrupti vel non accurate scripti verbi <curvat>. Postquam enim duo verba a librario diligenti qui non diiudicavit, utrum hoc vel illud in codice suo scriptum esset in margine scripta sunt, duo pro genuinis vocabulis accepta et in textum inserta sunt a recentium librorum scribis. Sed quid dicitur verbis <compos. pedem curvat lenta et sine infamia mollis>? Sine dubio significatur metaphorice aliqua eundi actio, fortasse aliquis saltandi motus cum comparatur Ciceronis compositio cum saltatore, qui pedem lente et molliter curvat, sed quamvis motus sint molles, tamen carent impudicitia. Ni fallor, etiam plus dici potest de imagine quae subest: Intellegitur motus temperatus et elegans in quo summis digitis primum insistitur. Retinetur eundi imago in sequentibus, ubi Pollionis oratio, cum vocatur <salebrosa (cf. 115, 15 sine salebra esse) et exiliens>, confertur cum viro, qui salit per salebras. <Lenta> potest esse „langsam, ruhig“ aut „biegsam“, aptiorem puto hoc loco vim priorem cf. 40, 11 <gradarius> de pronuntiatione dictum, 114, 16 <in exitu lenta ... detinens> Tac. dial. 22, 11/12 <(Cicero) lentus in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus> quae verba ad orationes priores referuntur, Quintil. X, 2, 17 <otiosi et supini siquid modo longius circumduxerant, iurant ita Ciceronem locuturum fuisse>. Ita tria in Ciceronis oratione eximia sunt: una, lenta, sine infamia mollis est. Contra si probaremus alteram vim vocis <lenta>, accipiendae essent duae attributiones <lenta> et <sine infamia mollis> pro

hendiadyoin. Verba <*sine infamia*> ad <mollis> ideo adiecta sunt, quod mollis aeque atque Graecum *μαλακὸς* vel *μαλθακὸς* duplicem habet vim: Valet <weich, biegsam> ut hoc loco cf. Cic. or. 16, 52 <oratio mollis et flexibilis>, Dion. Hal. ad Pomp. 5, 786 <*ἡδέως καὶ μαλακῶς ῥέουσα*> aut <weichlich> ep. 114, 8 cf. Dion. Dem. 48, 1103 <*τρυφεροὺς καὶ μαλακούς*> etc. Non dissentiunt a nostri verbis, quae de Cicerone apud auct. de subl. XII, 4 legimus: <*Κικέρων ἐν χύσει . . . ὡς ἀμφιλαφής τις ἐμπρησμὸς πάντα νέμεται καὶ ἀνειλεῖται πολὺ ἔχων καὶ ἐπίμονον ἀεὶ τὸ καῖον.* — Pollionis oratio describitur tribus vocabulis <*salebrosa, exiliens, relictura*>. salebrosa et exiliens pertinent ad totius orationis spatium, relictura magis ad sententiarum fines. Adiectivum <exiliens> de oratione dictum nullo alio loco inveni, cum <salebrosus> saepius cf. Quintil. XI, 2, 46 usurpetur. <relictura ubi minime exspectes> cf. Tac. dial. c. 32, 6 <ubi minime credas> et quod ad sensum attinet <ne ad exspectatum respondeant>. Quis relinquatur, non diserta dictum est, sed facile erui potest ex coniunctivo <exspectes> obiectum <einen>, quo opus est ad <relictura>. Relinquit autem legentem compositio Pollionis ita ut abrupto tenore qui propositus est alio se vertat et exspectationem fallat. Mirum est denique participium futuri abhorrens a praesente <exsiliens>. Complectitur Seneca singulas res compositionis Ciceroniae Pollionaeque proprias subtiliter duobus vocibus <desinere> et <cadere>. Significat hoc loco <desinere> apte et molliter claudi, <cadere> contra, quod apud Ciceronem cum adverbiis apte vel numerose coniunctum ad ambitus finem numerosum refertur, aspere abrupteque terminari, ut in § 17 in qua de Sallustii dictione sermo est; omitti clausulam respondentem (Blaß l. l. p. 135) hoc ex loco non apparet. Germanice convertatur locus: Bei Cicero gleitet die Rede mit anständigem gleichmäßigem Schritte zum Ziele, bei Pollio stolpert und stürzt sie dahin. Forbiger vertit desinere nostro sich verlaufen, non prorsus recte. Contulit Ernesti (s. v. cadere) cum Senecae nova subtilitate distinguendi Cic. or. 59 <solet quaeri totone in ambitu verborum numeri tenendi sint an in primis partibus atque extremis. Plerique enim censent cadere tantum numerose oportere terminari-

que sententiam> cf. ad haec Quintil. VIII, 5, 13 <sed nunc aliud volunt, ut omnis locus omnis sensus in fine sermonis feriat aurem>, ibid. IX, 1, 39 <cum similiter vel cadunt verba vel desinunt>, 4, 27 <numerus opportune cadens>, 4, 32 <apte cadens oratio>. Per omnes partes studuisse Pollionem orationi asperae negat Seneca, immo vero <adstrictos> i. e. vinctos esse (cf. Cic. de or. I, 60, 254 <astrictus certa quodam numerorum moderatione et pedum>) sensus paucissimos, sed una certa clausula, haud dubie aspera et ab aliis devitata. Locus Taciteus (dial. 25) ubi legitur in libris <numerosus> (Pollio) sine dubio laborat compendio non recte dissoluto et legendum est nervosior (Gudeman p. 259, Meiser) vel potius <venosior> (Baehrens). Ex iis locis quibus Pollionis oratio tractatur aliis a scriptoribus, satis habeo duo afferre quibus quantopere a se dissenserint Cicero et Pollio intellegas, Quintil. X, 2, 17 <a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest (Pollio) ut videri possit saeculo prior> et Tac. (dial. 21, 29) eum inter Menenios et Appios videri studuisse ait. In verbis a Seneca de antiquariis factis (ep. 114, 13) Pollionem quoque designatum esse vix crediderim, quod de immoderato usu verborum obsoletorum apud Pollionem nihil scimus. Quin legimus apud Suet. (de gr. R. p. 108) <de eodem (scl. Ateio Philologo) A. Pollio in libro quo Sallustii scripta reprehendit ut nimia priscorum verborum adfectatione oblita>. De Pollionis Latinitate cf. Wölfflin (Arch. f. lat. L. VI [1899] p. 85 sq.). De operis Pollionis philosophiam tractantibus nobis nihil traditum est nisi ea quae in § 9 ostenduntur. Ad haec cf. quae Norden l. l. p. 261 de Pollione docuit.

§ 8 <humilia praeterea tibi videri dicis ... dignitatem>.

Altera Lucilii vituperatio initio epistulae nondum commemorata inducitur verbis <praeterea tibi videri dicis>. Pertinet cum ad compositionem tum ad totum dicendi genus. Appellavit autem Lucilius Fabiani orationem humilem et parum erectam (*ταπεινήν*). Cui generi a Seneca in vitiosis numerato quid sit oppositum edocemur verbis <*parum erectum*>. Erectum exprimit Cicero vocibus <elatum, excelsum, grande>, Quintilianus <sublime> (cf. Causeret p. 122, 123, 161, 165), Graeci *ὑψηλὸς* cf. Dion. Hal. de comp. 18, 123 *σεμνῶς καὶ ὑψηλῶς ἢ ταπεινῶς*

καὶ καταγελάστως. Elatam dictionem a Lucilio, qui in ep. 46, 2 grandis et erectus dicitur, appeti etiam ex sequentibus elucet. Defenditur vero Fabianus a Lucilii opprobrio et vocatur oratio <ad tenorem quietum compositumque formata et plana>, i. e. observat Fabianus mediocritatem inter humile et sublime, id quod apte congruit cum eis quae adhuc de eius oratione statuimus. Quae cum ita sint in aperto est deesse Fabiani orationi ea, quae poscuntur a Lucilio ad sublimitatem efficiendam: oratorius vigor, stimuli, subiti ictus sententiarum. Contra non deest <*toti corpori*> i. e. toti operi universo, honestas rerum magnitudine effecta cf. § 3 et 12 fin., ubi summa praedicatur prae partibus et § 5 <sensus habes honestos>. — Separat Seneca <humilia, parum erecta, depressa>, quibus vocibus utitur synonymis a planis i. e. proprie eben translata ohne Anstoß. Nimirum petita est imago huius adiectivi quod apud Ciceronem (top. 26) rarissime invenitur et plerumque de sermone aperto et dilucido (= *σαφής*) usurpatur, a terrae superficie convertitque Georges non male: sein Vortrag gleicht nicht einem Tale, sondern einer Ebene. Aliter Quintil. (VIII, 5, 32) cum humiles eos vocat qui nihil probantes nisi <planum> et <humile> et <sine conatu> omnes in oratione sententias fugiant et reformident trockene einförm. Schriftsteller, die aus Furcht bei einem Schwunge zu verunglücken lieber kriechen (Ernesti), similiter coniungit planum et humile Plin. ep. IX, 26 <tutius per plana sed humilius et depressius iter>; cum laude commemoratur <planus> a Quintil. VIII, 2, 122, dixit de virtutibus orationis a se laudatae et pergit <ita sermo et doctis probabilis et planus imperitis erit> et VIII, 5, 30 ubi planis gratia quaedam tribuitur et opponitur genus dicendi inaequale confragosumque. Vox Graeca, quae prorsus respondet sensui qui nostro loco subest non exstat, prope accedit *ἰσχνὸς* quantum quidem ad sensum attinet, quod inter *τὸ ὑψηλὸν* et *ταπεινὸν* positum (Dion. Hal. ad Pomp. 2, 762) de simplici summissoque dicendi genere dicitur. — Verba <tenuia sed ad> coniectura nituntur nam finitur voce <enim> versus in BA. et pergitur <tenorem etc.>. Contra exstat in ς: <enim humilia illa, sed placida et ad animi tenorem . . .>, quae verba quin non genuina

sint, sed lacunae explendae causa coniecta et postea a librario sedulo quasi essent integra in textum recepta sint quis dubitet? At vix credibile est Senecam quippe qui scripsisset in sententia antecedente verba <humilia praeterea . . .> perrexisse <non sunt enim humilia>; <placida> autem ad <tenorem quietum compositumque> appositum repetitio est huius sensus, qui cur duplici modo exprimatur, non intellegitur. Tum consideres uni membro (humilia) cf. depressa-plana, respondere duo, si facimus cum ς. Quis fuerit verborum quae exciderunt sensus, statim apparet si inspicimus accurate sententiarum structuram — singula verba nimirum certe restitui non possunt: Lucilii verbis <humilia et parum erecta> respondent duae Senecae sententiae, in quibus primum Lucilii vituperatio repetitur alio verbo synonymo, deinde qualem Fabiani orationem esse censeat demonstratur. Duas Senecae sententias membris pares fuisse pro certo habere licet. Una autem Senecae responsio ut ita dicam integra servata est: nec depressa sed plana. Haec videtur ad <humilia> referri cf. Plin. ep. II, 26 humilius = depressius. Ergo pertinet <tenorem . . .> ad <parum erecta> et exstitit in lacuna synonymum vocis <parum erectum>, fortasse tenuia = exsanguia (Cic. de or. I, 13, 57), humilia (ibid. or. 23, 76). Duo adiectiva <tenuia aut abiecta> cum Buechelero supplere valde dubitaverim et concinnitatis causa et propterea quod abiecta pertineret ad humilia quae notio a nostro demum sententia <depressa ... plana> expeditur. Verba <*ad tenorem . . . formata*> non ad animum, sed ad elocutionem spectare Bartschius quoque (l. l. p. 275) comprobavit; <tenor> vertendum est nostro <Lauf, Gang> cf. ep. 23, 7 <ex placido vitae et continuo tenore unam viam prementis> et ep. 46, 2 <non fuit impetus sed tenor, compositio virilis>. Ad <*quietum compositumque*> cf. Tacit. dial. c. 36, 5 <composita et quieta et beata re publica>,[1] c. 41, 2, Ann. IV, 1 et p. 20 de <compositus>. — Illae tres res, quibus efficitur oratio erecta qualem Lucilius postulat usitatae

[1] Falsum esse huiusmodi locis suspicari Tacitum pendere ex Seneca recte Gudeman l. l. prol. p. XCV contra Kleiber (Quid T. in dialogo prioribus scriptoribus debuerit, diss. Hal. 1883) mihi docuisse videtur.

sunt in oratorum supellectile: <*oratorius vigor*> requiritur ad mentes movendas concitandasque, Cicero idem exprimit voce vis cf. Causeret (l. l. p. 156), qui tamquam esset res certa cum <vis> componit <virilis>, quod cum <vir> coniungendum est ut effeminatus cum <femina> (cf. Walde, Lat. Etym. Woerterbuch s. v. vir et vis), Seneca rhetor (contr. II pr.) de Fabiano dicens <oratorium robur> et <pugnatorius mucro>, Graeci dicunt imprimis *δεινότης*, praeterea *ῥώμη τόνος ἰσχύς κράτος ἐναγώνιον πνεῦμα* (cf. Geigenmueller). Cum vigor pertineat ad totam orationem, adhibentur quae sequuntur in singulis: stimuli (scl. oratorii), quae metaphora e re equestri deprompta (dial. IV, 14, 1) non legitur apud Ciceronem qui eodem sensu usurpat <aculei oratorii vel forenses> (de or. III, 21, 80, II, 15, 64, Brutus X, 38, or. 19, 62), in Graeco sermone subest eadem imago quae nostro loco, si dicitur *ἄκεντρον* ab auct. de subl. XXI, 1 cf. II, 3 et *κέντρον* ab Eupolide comico de Periclis oratione (Kock, com. Att. frg. I, 94). <*Ictus sententiarum*>, nostro sermone schlagende Pointen, adhibentur praeter exspectationem quo vehementius animi percutiantur; comparantur cum telo quo miles subito pungitur aut feritur (cf. § 11). — Verba <*videris quam sit comptum*> pro parenthese sententiae principali interiecta habenda sunt. Verbo <videris> alloquitur Seneca amicum eodem modo, quo supra § 4 de se et Lucilio dixit <videbimus> ad differendum aut omittendum, usu non longe ab illo distanti quo <tu videris> antiquiores dicunt aut <post videro>. Itaque res ita se habet: Sed totum corpus ne quaesiveris nunc quam sit comptum, honestum est (Madwig, adv. cr. II, 501) nostro sermone: Der Schwung des Redners fehlt bei Fab.; was dagegen die Gesamtheit der Rede angeht — auf ihren Schmuck kommt es an dieser Stelle nicht an — so ist sie wohlanständig. — Seneca quoniam Lucilii vituperationem in singulis reiecit, pergit <*non habet oratio eius sed debet dignitatem*> i. e. die Rede hat keine Würde, sondern bleibt sie schuldig. Dignitas Gr. *ἀξίωμα* hoc loco valet <magnitudo, sublimitas (Quintil. X, 1, 62) = *μέγεθος δίαρσις* (de subl. VIII, 1)>, non usurpatum est sensu altero = decorum (*πρέπον*) cf. Causeret p. 173 adn. 1. Repetitur igitur verbis vituperatio

Lucilii iam supra allata. Ergo verba Lucilio danda et pro altercatione Lucilii a Seneca ficta accipienda sunt. Ita si facimus, statim tollitur offensio, qua commoti ceteri interpretes, sententiam Senecae dantes, <debet> aut duris coniecturis (Lipsius, Gruter, Madwig, Bartsch, Baehrens) sustulerunt aut interpretatione vix probabili (Forbiger) servare studuerunt. Cadit altercatio aptissime in sequentia, in quibus Seneca dialogum fingit inter Lucilium ac se ipsum: Primum enim concessit deesse vigorem oratorium Fabiani orationi, sed addidit totum corpus esse honestum. Hoc in argumento Lucilius non acquiescit. Quam ob rem novum argumentum inducere cogitur Seneca.

§ 9 <adfer quem Fabiano possis praeponere . . . eloquentissimis>.

Verba συγκρίσεως quae leguntur ab <adfer — eloquentissimis> haud scio an aptius quadrent, quia Fabiani oratio in universum laudatur, ad extremum epistulae finem, cuius initio singulae virtutes orationis Fabiani praedicantur. Turbant quidem minime contextum. Quam comparationem nobis summi momenti esse cum, quid Seneca de magnis Romanorum scriptoribus censuerit edoceamur, quis non concedat? Sed reputandum est prolata iudicia referri solum ad ea opera, quae composuerunt Cicero, Livius, Pollio de philosophia. Ne id quidem neglegas, quod quia Seneca Fabianum permagni aestimat, illi tres auctores qui ei praeferuntur eo maioribus laudibus efferuntur. Priusquam plura hac de re, nonnulla singula de disputandi ratione hac in comparatione adhibita, quam saepius usurpari a Seneca velut 76, 29 similiter <dic: „factum . . . oblivio“ . . . respondebit tibi „ista . . . venio“> et ad diatribarum elocutionem redire Weber l. l. p. 23 et 45 docuit; in Ciceronis epistulis nobis idem occurrere R. Heinze me docet. — *cedam]* (post Pollionem) est futurum cf. cedam l. 16, dabo l. 22. — *respondeamus]* „fictae cogitationis“ Buecheler. — cedam sed ut respondeam] coni. Erasmus[2], cedam et respondeam Bartsch l. l. p. 283, quibus mutationibus non opus est nam <et> apud Senecam saepe habere sensum adversativum supra vidimus, ea autem re quod Seneca postquam ipse verbo <cedam> solus aliquid concessit, alios imprimis

Lucilium includit, cum dicit <respondeamus>, non offendimus cum sensus universus, qui est in <in re tanta ... esse>, a Lucilio reici non possit, quin efficitur etiam maius pondus, si opponitur Senecae concessio adversariorum fictae concessioni. Adverbium <ex professo> praeter Senecam (ep. 14, 8; 49, 5) Quintilianus et Macrobius usurpant (Forcellini). — Haerere in eo quod Seneca simul Ciceronem Pollionem Livium laudat et commendat, quamquam non ignoret quantopere distent tres auctores in elocutione, iniquum est. Nonne enim suo quisque genere quod colit excellere potest? ac velim cf. Quint. X, 2, 24 <ne hoc quidem suaserim uni se alicui proprie quem per omnia sequatur addicere> et S. rh. contr. I pr. 6 <quo plura exempla inspecta sunt, plus in eloquentiam proficitur, non est unus quamvis praecipue imitandus, quia nunquam par fit imitator auctori>, cf. etiam ibid. III pr. 8, ubi qua in re Cicero Vergilius Sallustius Plato praestiterint, in qua nihil assecuti sint discimus. Nostrum autem in iudicando fuisse integrum incorruptumque apparet ex eo, quod non cunctatur laudibus effere illos tres, etsi ipse nullius partibus se applicavit. Ne aliis quidem locis, quibus de magnis Romanorum scriptoribus dicit, aliter iudicat. Livius, cuius dialogi inter philosophiam et historiam quasi stantes simillimi fuerunt Varronis logistoricorum, (quo de genere cf. Ritschl, opusc. 3 p. 483 et Hirzel, Der Dialog [1895] p. 329), nominatur in dial. III, 20, 6 disertissimus. Virtutes Ciceronis, quem Seneca saepenumero commemorat, nusquam detrectat, et minime latet, ubi Cicero laudatur, sub laude acerbitas quaedam vel stomachus, immo crediderim cum Diderot (Essai sur l. meurs de Sénèque 1783, p. 225, übers. von Epheu) laudem Senecae eo maiorem esse, cum nonnullis locis non in universum elata sit, ut ep. 100, 7, 9; 40. Addimus quod Seneca non facit eorum modo, qui ut ipsi magis eleventur praecipue maximo adversario obtrectare student, sed Ciceronem, adversariorum suorum primum, laudat libere et ingenue argumentis non omissis. Intellegimus non minui vim propriam, cum tribuitur haec laus a Seneca. In ep. 40 legimus Ciceronem vocari diserte <noster> et duplici laude exornari: Laudatur pronuntiatio, quod lenta fuerit et praedicatur exsiluisse eloquentiam Romanam a Cicerone. Nomi-

natur Cicero <auctor locuples> (ep. 58, 6), in verborum dilectu magnus (17, 2; 58, 6), <homo eloquentissimus> ap. Gellium N. A. XII, 2, 4, <summus orator> ibid. 5. Cum Seneca de Lucina dicat (N. Qu. II, 56) effert: <Qui habuisset aliquod in eloquentia nomen, nisi illum Ciceronis umbra pressisset>. Compositionem Ciceronis vocari sine infamia mollem modo legimus. Ciceronis epistulas nomen Attici perire non sinere demonstratur ep. 21, 4 et afferuntur loci tres non sine laude. Epistulas tamen leviter tangi et carpi (ep. 118, 2), quia saepe res vanas contineant: <se non esse facturum quod Cicero Atticum facere iubeat, ut etiam (Cic. ad Att. I, 12, 4): „si rem nullam habebis quod in buccam venerit scribito"> non miramur, si reputamus Senecam in epistulis suis potissimum ad moralia intendere animum. Ut hic locus ne sequentes quidem Senecae in reprehensionem verti debent. In ep. 114, 16 numerat Ciceronis compositionem in vitiosis generibus i. e. abhorrentibus a fine, quem sibi proposuit in scribendo. Sed <nullum sine venia placuit ingenium> 114, 12 et <oratio certam regulam non habet> 114, 13, denique cf. verba in ep. 100, 7 de compositione prolata. Id quoque contra Senecam vix proferri posse, quod deridenda esse Ciceronis carmina iudicet (de ira III, 37, 5) rectissime demonstravit Mewis (l. l. p. 63, 64, 73), qui collegit plurimos locos ad Ciceronem pertinentes, nam concedunt non solum nostrorum docti (cf. Ribbeck, Röm. Dichtg. I^{2}, p. 297), verum iam antiqui (cf. Schanz R. L. VIII, 1, 2^{3}, p. 396) Ciceronis carmina esse mediocria. Restat illud quod Seneca offendit (Gell. N. A. XII, 2, 6) in Ennianis versibus, qui multi collaudantur a Cicerone: „aput ipsum quoque ‚inquit (Seneca)' Ciceronem invenies etiam in prosa oratione quaedam ex quibus intellegas illum non perdidisse operam quod Ennium legit". Per se nihil invidiosum! ne in <perdidisse> quidem. Sed minuit Seneca ipse vituperationem, si est re vera in verbis, hoc enim fuisse non Ciceronis vitium sed temporis (ibid. 8) <ad effugiendam infamiam nimis lasciviae orationis et nitidae>, idem de Vergilio in sequentibus: <Vergilius quoque noster non ex alia causa duros quosdam versus et enormes et aliquid supra mensuram trahentes interposuit quam ut Ennianus populus

agnosceret in novo carmine aliquid antiquitatis cf. Quintil. VIII, 3, 24. — In antiquorum scl. Ennii Accii e. a. oratione iudicanda modo laudat modo improbat. Aperte confitetur, quanta fuerit eorum dicendi simplicitas et virilitas: ep. 59, 6 <apud antiquos nondum captabatur plausibilis oratio . . . illi . . . simpliciter et demonstrandi rei causa eloquebantur>, ep. 39, 1 <olim cum latine loqueremur>, 58, 1 <quaedam vero (res) quae cum habuissent (nomina) fastidio nostro perdissent> 5 <intellegas quantum apud Ennium et Accium verborum situs (= πίνος cf. Roberts On Lit. Comp. p. 316) occupaverit, cum apud hunc quoque qui hodie excutitur aliqua nobis subducta sint>. Consentit igitur Seneca in eo quod antiqui sermonis vocabula et formas desiderat cum Quintil. VIII, 3, 27 <totus prope mutatus est sermo> cf. 24—26 ibid. Vituperatio autem Senecae pertinet ad antiquorum compositionem nimis horridam et rudem, in qua improbanda non solus est, cf. Ciceronem, qui Livii Andronici fabulas cum contemptu citat, aliosque. Cum vero aetatis suae antiquarios (ep. 114, 13), qui modum excesserunt in antiquis imitandis, acri dente carpit, prorsus rectus est; alii auctores faciunt similiter. Sic videntur mihi Mewis (l. l. p. 42 sq.) et Vahlen (Ennianae poes. reliqu.[2] p. LXXIII sq.) nimis acriter iudicare, cum censent Senecam iniquo animo fuisse in Ennium. — Hos ad locos accedunt antiquorum scriptorum duo testimonia, quae contra Senecam quasi essent efficacissima prolata sunt: Sueton. Nero 52 <a philosophia mater avertit (Neronem) monens imperaturo contrarium esse; a cognitione veterum oratorum Seneca, quo diutius in admiratione sui detineret; itaque ad poeticam pronus carmina . . . composuit> et Quintil. X, 1, 126 <(Senecam) non equidem omnino conabar excutere sed potioribus praeferri non sinebam, quos ille non destiterat incessere cum diversi sibi conscius generis placere se in dicendo posse iis quibus illi placerent, diffideret>, cf. etiam Tacit. ann. XIII, 42 <simul studiis inertibus et iuvenum imperitiae suetum (Senecam) livere iis qui vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent>, quae tamen verba sunt Publii Suillii, viri nostro infensi. Quintilianum, Senecae acrem adversarium, non esse testem integrum nemo neget. Causa, quam Senecae subicit,

certo fundamento caret, ficta est ab eo. Etiam plus cautionis adhibendum est in Gellii animadversionibus mordacibus Senecae verbis additis. Verba autem Suetonii, illius auctoris, qui quaecumque indagavit industrie congessit praecipue ad rumores miros conspicuosque intentus iudicio tamen non adhibito neque auctoribus quibus nititur accurate citatis (cf. Schanz R. L. VIII, 3 p. 50), valde minuuntur, si comparantur cum illis multis locis Annaeanis; accedit quod pondus loci est in <oratorum>, non in notione <veterum>, legitur <oratorum veterum> non <scriptorum veterum> et dicitur de studiis philosophicis, rhetoricis, poeticis. Ac vel per se incredibile est Senecam arcuissse Neronem a legendis scriptis patris, studiosissimi sectatoris Ciceronis (S. rh. contr. I, pr. 6, 7, 11). Tres Senecas iam a pueris paulum aspernatos esse Tullianum dicendi genus docet S. rh. iisque salse exprobrat. Sed in illa declamatoriae artis novitate tam pauci imitati sunt Ciceronem, ut S. rh. ipse de Q. Haterio expresse dicat (contr. l. IV, pr. 9) <sed quaedam antiqua et a Cicerone dicta, a ceteris deinde deserta dicebat> cf. contr. l. III, pr. 14/15. Senecam commendasse discipulo suo proprium dicendi genus, non Ciceronianum non miramur, hoc ei faciendum erat, ne argueretur inconstantiae. Hoc quoque considerandum est auctori ei, qui discedit a via ab antecedentibus observata, in statuendis et confirmandis novis regulis saepius exponendum esse, cur usitata improbet. Ultimo autem exemplo integritatis Senecae utor Arruntio, illo Sallustii imitatore, qui (ep. 114, 17) quamquam Sallustii studium brevitatis quodammodo ad Senecae propositum accedit non minus vituperatur. Quibus de causis iniustum esse puto Senecam invidiae et iniquitatis accusare (cf. Norden l. l. p. 306 sq.; Friedlaender, Hist. Zeitschr. ed. Meineke, (1900) 85, p. 227; Bernhardy l. l. p. 305) et facio cum Mewis, Diderot-Epheu, Rocheblave (de M. F. Quintiliano L. Ann. Senecae iudice 1905, Paris, p. 43, cuius de verbis tamen cf. Ammon, Bursian 1901, 109, p. 131/32), Peterson, (ed. Quintil. l. X, 1891, p. XXVII adn. 1) cf. etiam Rolland l. l. p. 13, Senecam hac vel illa in re defendentibus.

§ 10 <sed non praestat omnia: non est fortis ... agens trahit>.

Accipi possunt verba <*sed — exile*> aut pro concessione Senecae, qua quoniam de via proposita paulum digressus laudavit Fabianum in universum ad singula a Lucilio supra perstricta redit coniunctione <sed> et concedit non excellere Fabianum omnibus in rebus, aut pro altercatione Lucilii (Forbiger), qua comprobat ea quae Seneca in antecedentibus exposuit, ut statim novas offensiones afferat. Hoc modo interpretanti, cui ante <sed ...> supplendus est animo sensus <magnum scriptorem esse Fabianum confiteor>, cancellis includendae sunt non solum verba „desideres ... exile“, quae certe Lucilio tribui inserto <inquis> confirmatur, sed iam verba <sed ...>, et <desideres> interpretandum est = man vermißt, non debet referri ad Lucilium solum; ea in re, quod <inquis> in sententia demum altera inicitur nemo haesitet. Haec interpretatio mihi magis arridet priore, cum duae coniunctiones concessivae <quamvis> melius quadrent ad Lucilium dicentem, qui insuper Senecae verba, quibus Fabiani oratio fusa et plana dicta est, in maius extollit, cum dicit <elata et effusa>, quo clarius evadat, quantopere etiamsi esset effusa et elata abesset a fortitudine et torrente. — Opponuntur primum tribus in incisis, ex quibus tertium mirum in modum non plene respondet primo et alteri simillimis, orationis virtutes quae postulantur a Lucilio (scl. oratio fortis, violenta vel torrens, perspicua) qualitatibus, quas habet re vera Papirii elocutio (elata effusa pura). Compluribus exemplis, de quibus cf. p. 41 et 71, illustrat Lucilius accuratius quid velit. — Ad finem perducitur altercatio tertia postulatione universe sententioseque pronuntiata. — Quae ad Lucilii verba satis habet Seneca respondere paucis, quibus ducitur ad demonstrandam relationem, quae sit in philosophi oratione inter verba et res quamque tetigit iam in § 2 – 4. Trium incisorum interpretatio complures difficultates praebet, cum, quo spectent, non statim dilucidum sit. Primum dici de dicendi genere altera in epistulae parte tractato concludet, qui reputabit <elata> adhibitum esse a Lucilio respiciente ad Senecae defensionem, in qua orationi

honestas et dignitas attributa erat. Voce *fortis*, synonym. valens (S. rh. contr. l. III pr. 2), *ἰσχυρός* significatur a Quintil. (X, 2, 16; XII, 10, 80) ea orationis virtus, cui temeritatis vitium est proximum; similiter usurpantur <violentia> et <nimius impetus> (ep. 40) notiones in vitiis numeratae a Seneca et Quintil. II, 12, 11, quo loco vis oratoribus doctis, violentia declamatoribus furentibus datur. Tertium refertur ad Fabiani dictionem puram in § 5 explicatam. Vocatur *pura* i. e. Latina, emendata *καθαρά,* oppos. sordida, propterea quod habet nativam inaffectatamque simplicitatem, quae vitat nimium cultum et caret verbis sordidis raris peregrinis. Imago, quae subest in <purus>, duplex esse potest: cogitatur de aqua pura (Cic. Brut. 274 <ita pura ut nihil liquidius>, Dion. Hal. Demosth. 5, 966 <*καθαρὰ* [pura] *καὶ διαυγὴς* [dilucida] *ὥσπερ τὰ διαφανέστατα τῶν ναμάτων*>) aut ut hoc loco, Cic. Brut. 261 etc. de pura veste. Notio <*perspicua*>, qua augetur purus, accipienda est pro synonymo vocis <translucidus>, quae a Quintil. (VIII, pr. 20) respiciente ad vestes mulierum tenuissimas imprimis Coas (cf. etiam ep. 114, 21) metaphorice usurpatur in vitiosa elocutione describenda eodem sensu quo <nimis ornatum> vel <putidum> cf. Cic. Brut. 79, 274 <exquisitas sententias mollis et pellucens vestiebat oratio>. Graece convertatur fortasse <*τρανὸς*> (Dion. Hal. de comp. 22, 167 <*τρανὴν καὶ καθαρὰν*> cf. Geigenmueller, p. 98). Usitatiorem (Quintil. VIII, 2, 17—18, 21) vocis perspicuus significationem = klar, dilucidus, apertus, *σαφής*, oppos. obscurus a Lipsio commendatam quia conveniret apte cum patris Senecae vituperatione (contr. l. II, pr. 2) <obscuritatem non potuit evadere, haec illum usque in philosophiam prosecuta est>, non idoneam puto hoc loco propter oppositionem <sed pura>; cum patris reprehensione videntur mihi potius cohaerere verba in § 11 de orationis perspicuitate scripta <multum erit in omnibus lucis>. Incisum alterum refertur, ni fallor, ad compositionem, nam iuvenimus <*effusa*> initio epistulae de compositione dictum. <*Torrens et violenta*> quidem usurpatum est in ep. 40 de pronuntiatione, sed cum Lucilius pronuntiationem non commemoret in epistula nostra, referimus duo vocabula ita ut <effusa> ad compositionem,

quam latam a Seneca nominatam, torrentem habere Lucilius negat. Hanc ad tripertitam recapitulationem adiungitur tertiae vituperationis pars propria adhuc in epistula nondum tacta: exemplo exponitur, quomodo dicendum fuerit. In sententiarum duarum structura observatur ordo perspicuus. Respondent sibi in priore quattuor membra accurate, in altera tria. Contra deest ordo in rebus. Si allata esset ambitio altera in sententia, haberemus in hac quattuor vitia, quibus opponerentur in priore vitia omnia, fortuna, pericula. Subtilis est Seneca in eo dicendi genere exprimendo, quod adhibendum esse vult ad res singulas recte vereque oppugnandas Dicendum est contra vitia aspere (ita Seneca ipse passim in epistulis), neque enim est quod vitiosis parcatur; contra pericula animose, quo melius superentur cf. ep. 59, 7 <sapiens ad omnem incursum munitus intentus . . . interritus>; contra fortunam superbe, cum philosopho fortuna nihil possit mali afferre cf. ep. 64, 4 <quid cessas, fortuna? congredere paratum vides>, 82, 7 <philosophia . . . in expugnabilis murus quam fortuna multis machinis lacessitum non transit>, de ira III, 25, 4, ad Marc. IX, 3 etc.; contra ambitionem contumeliose ut videat ambitiosus quam parvi aestimet philosophus honores huiusmodi cf. ep. 84, 11 <relinque ambitum: tumida res est, vana, nullum habet terminum, tam sollicita est>. Postquam in universum dictum est, quomodo in vitia animadvertendum sit, explicantur praecepta, quae valent ad certa vitia: Vult luxuriam *obiurgari* i. e. acriter atque acerbe reprehendi cf. ep. 86, 6 sq., libidinem *traduci* i. e. publice illudi — saepius utitur Seneca verbo traducere sensu translato, plura de vocis usu et origine v. apud Rothstein, ad Prop. II, 23, 7 —, impotentiam *frangi*, i. e. summa acerbitate et severitate opprimi, quod impotens mansuetudine non perducitur, ut de proposito desistat. Quae exemplis demonstrata sunt, colliguntur sententia brevi, composita tribus ex membris ingeniose excogitatis et artificiose structis, quae coniungenda sunt cum tribus verbis <obiurgari, frangi, traduci>: <*sit (in oratione) aliquid oratorie acre, tragice grande, comice exile*>, nimirum unumquidque suo loco, unum suppleat alterum, alternentur vigor oratoris, granditas tragici (cf. Cic. Brut. 55, 203 grandis et ut ita dicam tragicus

orator), tenuitas comici. Iam supra adnotavi imitatum esse Senecam poetas in eo, quod adverbiis iis quibus augetur vis adiectivorum, addidit nova; in quibus etiam oratorie tragice comice numeres, quae arte coniungenda sunt cum acre grande tenue, id quod vel ex positione vides. <tenue> pertinet ad comoediae sal et facetias. <grande> quod legitur eodem modo in ep. 79, 7, dicitur etiam sublime dicendi genus, quod affectabatur ab illis recitantibus, qui a Persio (sat. I, 14) propter pulmonum ingentem nisum quo eiecerunt verba irridentur; pro grandibus fiebant tumidi (Quintil. XII, 10, 80, X, 2, 16, cf. XI, 3, 55/56, Duebner ad Pers. sat. p. 48; ep. 114, 1). — Ea verba, quibus sine ulla coniunctione elatis Seneca ad Lucilii postulationem respondet, quamvis brevia sint summi momenti sunt. Uno argumento delentur omnia illa amici postulata et reprehensiones: Non operam dat Fabianus verbis, quippe quae sint res pusilla vel umbra cf. Dion. Hal. de Lysia 4, 463 <*οὐ τοῖς ὀνόμασι δουλεύει τὰ πράγματα, τοῖς δὲ πράγμασιν ἀκολουθεῖ τὰ ὀνόματα*>. Impendit potius operam totam in <*rerum magnitudinem*> *τῶν πραγμάτων μέγεθος*. Invenimus orationis neglegentiam rerum curae oppositam ep. 100, 2 <mores ille non verba composuit et animis scripsit non auribus>, 3 <summa rapuisset etc.>, 4 <oratio sollicita philosophum non decet>, 11 <ad profectum omnia tendunt, non quaeritur plausus>, 115, 1 <nimis anxium esse te circa verba et compositionem mi Lucili nolo, habeo maiora quae cures, quaere quid scribas non quemadmodum>, 2 <non est ornamentum virile concinnitas>, 18 <(ad philosophiam) non perducent te apte verba contexta et oratio fluens leniter eant ut volent>, 75, 1 <quis accurate loquitur nisi qui vult putide loqui?> 2 <epistulae meae nihil habent accersitum nihil fictum, si fieri posset quid sentiam ostendere mallem quam loqui>, 3 <multum operae impendi verbis non oportet>, 5 <non delectent verba nostra, sed prosint — sit talis oratio ut res potius quam se ostendat. 7 <quid aures meas scabis? quid oblectas? aliud agitur: urendus etc.>. 52, 13 <relinquantur istae voces illis artificibus quae propositum habent populo placere . . . 14 ad rem commoveantur non ad verba composita, alioquin

nocet illis eloquentia, si non rerum cupiditatem facit sed sui> 15 <damnum quidem fecisse philosophiam non erit dubium, postquam prostituta est> 59, 5 <(vitupero) qui ad id quod non proposuerunt scribere, alicuius verbi placentis decore vocantur> 89, 18 <quidquid legeris ad mores statim referas> 23 <scribe ut dum scribis legas omnia ad mores et ad sedandam rabiem adfectuum referens>.

§ 11—12 <Non erunt sine dubio singula . . . magnificus>.

Reiectis amici offensionibus describit Seneca epistulae in fine Fabiani orationem, partim complectens ea quae exposuit partim nova adiciens. Dilucide cognoscitur gradatio: Primum depingit orationem ipsam ac proficiscitur ab inopiis, quas enumerare non haesitat. Adiunguntur orationis virtutes. Deinde — hoc est summum gravissimumque — laudibus effert materiam honestam, quae congruit cum sensu auctoris, quae sectatur animi profectum, quae non deterret ab imitando cf. verba similia de Sextio scripta, qui alienus a Stoicorum rigida (ad Helv. matr. XII, 12, 4) severitate <ostendet beatae vitae magnitudinem et desperationem eius non faciet: scies esse illam in excelso sed volenti penetralem> ep. 64, 5. Postquam docuit scriptor, qua in re positum sit iudicium suum, repetit ultima in sententia epistulae, quae iam supra in § 2, 3, 11 extulit, perpaucis ac redit quasi ad prima conclusionis verba. — Commemorantur autem quattuor res, quae in Fabiani oratione reprehendi possint: 1. oratio propter inopiam vigoris oratorii interdum <*otiosa*> i. e. ruhig ohne zu treffen, synonym. lentus tardus supinus. 2. <*singula*> i. e. partes singulae cf. § 12 sine commendatione singularum partium, § 3 contemplatio diligens inventura est quod (in partibus) arguat. <*collecta*> i. e. in angustum coacta (ep. 39, 1) cf. Tac. dial. 31, 22 <adstrictum et collectum . . . dicendi genus> et Cic. Brut. 90, 309 ubi <adstrictum> synonym. vocis <collectum> componitur cum pressum et contractum cf. et. Plin. (ep. I, 20, 20). qui opponit <adstrictius> et <effusius>. Collectum raro usurpatur hoc sensu. Unde ducta sit metaphora dubium est. Solent colligi i. e. coniungi et coartari orbes aut capilli per collum sparsi aut vestimenta (Tac. dial. 39, 3) cf. *σφίγγειν κεκολπωμένα* (Dion. Hal. Dem. 19, 1010)

de oratione contracta dictum. 3. id quod cum 2. cohaeret: verba multa quae non excitant nec pungunt, cum Fabianus esset securus (§ 5). <*Excitare et pungere*> fieri stimulis ictibusque manifestum est. 4. clausulae multae, quae non feriunt. Quin verbis <*exib. . . . ferient*> clausulae intellegantur et exire hoc loco synonymum sit vocis <terminari> nemo dubitare potest, nam si interpretaremur exire nostro „aus seinem Munde kommen" et ad totam orationem referremus <multa>, exprimeretur idem quod in antecedentibus. Exire et ferire aptissime coniunguntur, cum exire petitum sit a gladiatoribus, (Lipsius) quorum manus exeunt cum parant ferire. — Virtutes orationes nominantur item quattuor: 1. <*lux*> i. e. perspicuitas *σαφήνεια*. Omnia sunt dilucida cum sensus latius dicti sint, oratio simplex ac pura. 2. <*ingens sine taedio spatium*> i. e. quamvis multa perlegas non caperis taedio, cuius rei causa in rerum splendore ac dignitate est. Ad obscuritatem taedium vix referri potest, cum in antecedentibus lux laudata sit et indicetur ipsa structura duarum sententiarum, aliquid novi tractari in altera. Adiectivum <ingens> habet quasi sensum adversativum, cum sit pro sententia <quamvis ingens sit>. Notio orationis largae et fusae vel per se inest in <spatium> (Tac. dial. 19, 11; 39, 7), apud Plinium (ep. I, 20, 18) spatium etiam cum <copia dicendi> coniunctum est. 3. imprimis orationis sinceritas, postulatum vere Stoicum: *οἱ Στωικοὶ ἔλεγον τὸ εὖ λέγειν τὸ ἀληθῆ λέγειν* Rhet. Gr. VII, 8 W.; idem in ep. 75, 2 <si fieri . . . v. p. 72 . . . contentus sensus meos ad te pertulisse> 4 <haec sit propositi nostri summa . . . idem est> ep. 24, 19 <turpe est aliud loqui aliud sentire, turpius aliud scribere aliud sentire cf. 115, 1 scribas ut sentias>. 4. orationis finis ad profectum animorum spectans cf. ep. 38, 1 <pauca sunt quae dicuntur, sed si illa animus bene excepit convalescunt et exsurgunt>. Opponitur Fabiano turba declamatorum, qui rebus neglectis in verbis versati plausum appetunt cf. ep. 52, 8/9: <eum elige adiutorem quem magis admireris, cum videris quam cum audieris . . . nec ideo te prohibuerim hos quoque audire, quibus admittere populum ac disserere consuetudo est, si modo hoc proposito in turbam prodeunt, ut meliores fiant faciantque

meliores, si non ambitionis hoc causa exercent, quid enim turpius philosophia captante clamores? ... 11 quanta ... dementia eius est quem clamores imperitorum hilarem ex auditorio demittunt ... 12 intersit aliquid inter clamorem theatri et scholae: est aliqua et laudandi decentia, ep. 20, 2 declamantibus et adsentionem coronae captantibus ep. 75, 5 non delectent ... ep. 102, 20 non debet hoc nobis propositum esse arguta disserere et philosophiam in has angustias ex maiestate sua detrahere: quanto satius est ire aperta via et recta quam sibi ipsum flexus disponere quos cum magna molestia debeas relegere?>. Declamantes placendi, non vincendi causa dixisse et se non causam approbare cupiisse etiam ex S. rh. contr. l. IX pr. 1 discimus; optime porro de declamationibus Quintil. V, 12, 17—23 quem locum fuse in libro de corruptae eloquentiae causis scripto tractatum fuisse ipse fatetur Fabius: <ad solam voluptatem compositae nervis carent, dum levia sint ac nitida, quantum valeant nihil esse arbitramur ... quapropter eloquentiam licet hanc libidinosam resupina voluptate auditoria probent nullam esse existimabo, quae ne minimum quidem in se indicium masculi et incorrupti ne dicam gravis et sancti viri ostentet>. Quo furore atque ardore plausus captatus sit illa aetate discimus bene ex Persii sat. I, 13—21 versibus praecipue ad poetas spectantibus cf. Jahn, edit. p. 72 sq.: omnes scribendi studio calere, ut ea quae elaboraverint convocatis auditoribus recitarent et omni cultu et ornatu aures eorum atque oculos fallerent et inanem plausum atque favorem nanciscerentur>. — Orationis summam complectitur Seneca verbis <*non solida, sed plena sine commendatione singularum partium in universum magnificus*> cf. ep. 108, 17 ubi Sotion quoque vocatur magnificus. Voces plenus et solidus metaphorice usurpatae et quodammodo oppositae vertit Forbiger non male „nicht ganz vollkommen, aber inhaltreich“ quamquam notiones Germanicae, quia non pertinent ad eandem rem, vere contraria non sunt. *solidum]* cf. S. rh. contr. II, 1/2 de Fabiano <nihil acre nihil solidum nihil horridum>, fortasse a cibis in quibus solidum appetere solent saniores iidemque lenibus nimium offendi (Schulting). Metaphorice id vocatur, quod ubique sive spectas

ad verba sive ad res continet aliquid: dicht vollständig gediegen, aliter in ep. 115, 2 <nihil forte nihil solidum>, cf. Graecum στριφνὸς (Dionys. Hal. ad Amm. II, 2, 793). <*plena*> (ἁδρὰ) oratio, notissima metaphora, opposita est aridae. Id vitium, quod stat ab altera parte vocatur a Plinio (ep. IX, 26, 5) <nimium>; est igitur <plenum> inter solidum et exile. — Non neglegit Seneca, ut est scriptor qui veritati studet, paucis ostendere quibus fontibus usus sit in descriptione sua. Dicit <*non dubito talia esse scripta eius*>, saepius coniungit <non dubito, non dubium est, sequitur> cum acc. c. inf. velut ep. 114, 11; 52, 15 etc., contra dubito trage Bedenken cum <quin> ep. 66, 51 cf. Opitz, l. l. p. 29. <*color*> scriptorum i. e. generalis notio et species orationis Der Ton, Der Kolorit der Schriften.

Quoniam quid Seneca de Fabiano censuerit exposuimus, restat ut breviter summatimque comparemus ea, quae S. rh. scripsit eodem de viro. Ambo audiverunt Fabianum ipsi, ambo laudant in universum, nam rhetor quoque nominat eum initio descriptionis suae <bene declamantem>. Filium autem ex patre pendere vel oculo veloci praefationem contr. l. II percurrenti liquet. Nostrum eis locis, quibus non solum sensu, sed etiam verbis quibusdam cum patre consentit, ipsum iudicare potuisse idem quod patrem, verbis eius non respectis cum usus sit Fabiano magistro, mihi quidem incredibile videtur. Preisendanz, qui filii scripta cum patris contulit nuperrime, non primus (cf. l. l. p. 71 adn. 14) indagavit conexum qui est inter hos locos, immo pervenit ad eundem finem duobus locis inter se comparatis iam Rolland (l. l. p. 19/20 cf. etiam Schanz p. 315, „im wesentlichen stimmt sein Urteil mit dem des Sohnes überein, nur daß er merkwürdigerweise noch die Dunkelheit als charakteristisch anführt") ac res tam manifesta est ut Lipsium, Ruhkopfium, Hoefigum, Reuterum (p. 34), qui hos vel illos locos contulerunt, idem censuisse persuasum habeam, etiamsi conexum diserte non pronuntiaverunt. Verum opus est tria considerare, priusquam ad conferenda verba accedimus: primum diiudicandum est, ad quam partem studiorum Fabiani spectent verba patris: Possunt referri ad rhetoricam, philosopham, ad utramque. Tetigit hanc

quaestionem breviter Reuter (l. c. p. 34), at non opus erat ex hyperboles figura immodice in fragmentis usurpata verborumque lusu ac sententiis concludere Fabianum in studiorum suorum prima parte, cum Arellio Fusco se applicasset, facundiae corruptae studuisse, quia per se apertum est et expressis verbis effertur (contr. II, pr. 1): <cuius scl. Fusci genus dicendo imitatus est i. e. (cultus nimis adquisitus, compositio mollior . . . nimia licentia vaga et effusa . . . oratio . . . magis lasciva quam laeta)>. Spectant autem verba quae apud S. rh. legimus non tantum ad Fabiani studia rhetorica, quamvis probabile esse videatur prima praefationis verba legenti, potius distinguuntur temporum usu diverso apertissime duo spatia vitae: <ab hoc (sc. Fusci lascivia) cito se separavit et luxuriam quidem cum voluit abiecit obscuritatem non potuit evadere; haec illum usque in philosophiam prosecuta est, saepe minus quam audienti sat est, eloquitur et in summa eius ac simplicissima facultate dicendi antiquorum tamen remanent vestigia, quaedam tam subito desinunt . . . dicebat autem F. fere dulces sententias . . . inspirabat . . . deerat . . . aderat>. Verba <haec — desinunt> solum ad Fabiani declamationes et recitationes philosophas referre (Preisendanz l. c. p. 71) non simul ad scripta de rebus philosophiae composita ego quidem valde dubito cf. Zeller (Gesch. d. Philos. d. Gr.[3] III, 1, p. 677 adn. 3). Quod attinet ad philosophi iudicium vix dubitet quisquam, quin cogitet de Fabiano philosophante: pleraque eorum quae exponit pertinet ad libros illos a Lucilio lectos, nonnulla ad recitationes (cf. ep. 100, 3, 12; 40, 12); quibus de causis Rolland non prorsus est rectus, cum dicit patrem laudare oratorem, filium scriptorem. Deinde reputanda est fides, quam habere licet iudiciis latis: rhetorem esse auctorem aequum nemo neget, philosopho contra haud scio an in omnibus rebus plena et integra fides haberi non possit, cum defendat praeceptorem permagni aestimatum. Alteram causam quam Hoefig (p. 39) et similiter Reuter affert: <elegantiae arbiter erat non incorruptus scl. noster> non valere iam p. 65 sq. perstrinxi et infra etiam refutabo. Quod attinet ad Lucilii iudicium, quo effecta est ep. 100, facio cum Hoefigo (p. 37): <iudicium, nimis severum fuisse arbitramur etsi nonnihil confirmatur a Quintiliano de

Fabiani dicendi genere prorsus tacente>. Nam re vera severum criticum putandum esse Lucilium edocemur etiam ep. 115, 1 <nimis anxium . . .> et 75, 1 <minus accuratas . . . quereris>. Occurrunt autem nobis comparantibus tria: aut congruunt duo scriptores et sensu et verbis quibusdam (1—2, fort. 4) aut sensu tantum (3—6) aut inter se discrepant:

1. contr. II, pr. 2	100, 8
deerat illi (Fab.) oratorium robur et ille pugnatorius mucro	deest illis (Fabiani verbis) oratorius vigor stimulique et subiti ictus
2	5
2. splendor (cf. § 1 Arellii Fusci oratio splendida, explicatio splendida) vero velut voluntarius	splendida tamen
	2
3. non elaboratae orationi aderat . . . (praecedunt verba: in simplicissima facultate dicendi)	non tractatam nec diu tortam (Fab. orat.)
2	8
4. iam (vel tam) videlicet compositus et pacatus animus cf.: vultus dicentis lenis et pro tranquillitate morum remissus	(verba) ad tenorem quietum compositumque formata

(quod pater de animo, dicit noster de oratione)

2	2
5. verba vel iniussa fluerent	Fabianus mihi non effundere videtur orationem, sed fundere, adeo larga est et sine perturbatione, non sine cursu tamen veniens
3	12
nunquam inopia verbi substitit, sed velocissimo cursu et facillimo (cf. ep. 40, 12 ubi pronuntiatio vocatur facilis) omnes res beata (i. e. uber) circumfluebat	verbis abundabat

(quamquam rhetor de compositione declamationum pronuntiatarum, philosophus scriptorum librorum cogitat, attamen conferendi sunt duo loci).

2	2
6. quotiens incidebat aliqua materia, quae saeculi convicium reciperet inspirabat, magno magis quam acri animo	praeterea . . . adeo te summa rapuisset et fere quae impetu placent... primo aspectu oculos occupasse.

(de <animus> et <impetus> = Begeisterung cf. p. 44sq.)

Differunt duo auctores inter se uno loco, quo patrem in Fabiano ea requirere quae filius excuset et tueatur, iam Lipsius animadvertit, dicuntur enim a rhetore quaedam pressius exposita, quin etiam abrupta, cum laudetur Fabianus a nostro propter sensus latius dictos et lucem. Neque tamen gravis est haec dissensio, nam numeratur brevitas a rhetore in antiquorum vitiorum „vestigiis“ quae remanserunt, cf. etiam quae ad <latius> (§ 5) exposui et Jahn, ed. Pers. sat. proleg. p. CXII. — Sententiae denique dulces quas pater affert non abhorrent a descriptione nostri, quippe qui diserte doceat Fabiano deesse acrem vehementemque oratorum incitationem.

§ 2 ep. 115, 1—2, 18.

<*Nimis anxium esse circa verba . . . concinnitas. Non perducent . . . constet*>.

Cum ep. 100, 4, 10, 11; 75, 1—7; 114, 4, 6sq. coniungenda sunt ea, quae Seneca in ep. 115 de rerum et verborum relatione in philosophi oratione observanda demonstrat. Improbat Lucilium, quod sit nimis anxius in verborum electione et compositione. Utrum Lucilii ipsius elocutio intellegenda sit, an cogitandum sit tantummodo de verbis Lucilii in epistula prolatis non certum est — in ep. 59 laudatur Lucilii oratio pressa aperte. Postulat autem Seneca paucis egregiis verbis, ut studium avertat amicus a verbis ad res, ut quae sentiat scribat, ut sibi applicet quae senserit. Nam oratio est effigies animi: Quicumque verbis nimis timet, studet rebus pusillis habetque animum minutum, qui utitur oratione nimis ornata habet animum vanum et fractum nec quicquam efficit forte aut solidum, contra liber est vitiis enarratis, qui remisse et secure dicit. Quae commendantur hac in epistula, ea similiter in Fabiani oratione perducta et a Seneca

laudata invenimus: cum singulis sensibus in § 1 expressis cf. ep. 100, 5 (securus erat F. in dicendo), 2—4, 10, 11 (in rebus non verbis maiorem curam posuit), 12 (scripsit quae sensit) 12 (animi profectum appetiit). Accedunt aliae sententiae, quin singula verba, quae cum ep. 100 collata aut optime explicantur et illustrantur aut supplentur cf. <cuiuscumque orationem . . . occupatum> et <si circumtonsa — concinnitas> cum verbis, quibus orationem sollicitam esse animi inconstantis et ignavi dicitur (100, 4); quod hic per occasionem perstrictum est, illic pluribus verbis exemplisque exponitur. <circa> saepius ita usurpatur ut spectet ad rem, in qua quis versatur (Opitz l. c. p. 13), veluti 88, 44 versari circa eadem 75, 7 versari circa verba. Eodem modo quo <circa> utitur Seneca etiam genetivo, ut <anxius futuri> 98, 6, alia exempla apud Opitz p. 8/9. — *signes]* = signo impresso munias ne elabantur neve eripiantur, metaphora ab opera figulorum ducta. Confertur oratio sollicita cum animo <pusillis> rebus occupato, pusilla res vocatur eloquentia (100, 10). — *remissius loquitur et securius]* est in dicendo minus intentus (*ἀνειμένος*) et anxius cf. 100, 5 <securus F.>. Vir animi remissioris dicitur Laelius (ep. 11, 10) — *fiduciae]* ep. 64, 3 dimittit me plenum ingentis fiduciae Sextius — *comptulos]* cf. ep. 114, 20/21 <delicati sq.> — *de capsula totos]* nos similiter „ganz wie aus dem Schmuckkästchen" vel „aus dem Ei gepellt". Dictio mihi videtur fuisse popularis. Weber (l. l. p. 42 adn. 1) dubius est. — *solidum]* hoc loco ad mores refertum usurpatur sensu <Tüchtig, Kernhaft>. — *oratio cultus (i. e. vestimentum) animi est]* ut ex negligentia et cura quae ponitur in vestimentis animi status apparet, ita etiam ex oratione, qua animus quasi veletur et obducatur. A rhetoribus dicitur cultus de orationis ornatu in bonam (cf. 114, 10 pro cultu) vel malam partem, est igitur eius vis eadem atque notionis <concinnitas>, de qua statim. Definitur <cultus> a Quintil. VIII, 3, 61 et VIII, pr. 20 ex quibus transcribo alterum locum, cum Quintil. quoque ostendat animum et orationem cohaerere: <cultus concessus addit hominibus auctoritatem: at muliebris et luxuriosus non corpus exornat, sed detegit mentem>. — *oratio circumtonsa]* satis constat desumptam esse vocem a cultu comae ad

orationis ornatum diligentiorem describendum. Tria autem sunt in voce: perpoliri, curiose recidi et velut rotundari cf. Varronem (Catus XX, p. 250 Riese ap. Non. p. 179, 8). Similiter dicit Dionys. Hal. (de comp. XXV, 208) *κτενίζων καὶ βοστρυχίζων καὶ ἀναπλέκων τοὺς . . . διαλόγους* (scl. Plato), Tac. dial. 26, 3 <calamistros Maecenatis>, id. Cic. Brut. 262 or. 78, <cincinnos> Cic. de or. III, 25, 100; Suet. Aug. 86 R. — *fucata]* refertur ad colorem falsum, quo ornatur oratio ita, ut capillus et os fuco alium accipit speciem atque habet re vera cf. substantiva eodem modo adhibita <fucus> (Cic. de or. III, 52, 199; Quintil. VIII, 3, 6) <pigmenta> (Cic. de or. II, 45, 188). — *manu facta]* i. e. artificiose tractata. Quae formula utrum translata sit a rebus, quae non machinationibus ut ita dicam sed manu cum opera magna ab artificibus parabantur, an servata imagine, quae est in circumtonsa et fucata a professione tonsorum qui habili manu singulos cincinnos ordinabant, certo dici non potest. Cicero idem exprimit simplici verbo <facta = *πεποιημένη (λέξις)*> (de or. I, 14, 63, or. 51, 172), cui <quodammodo> adiectum est (de or. III, 48, 184; Brut. 8, 30). Verba <circumtonsa, fucata, manu facta> usurpata esse in describenda oratione iuvenum barba et coma nitidorum non fortuito, sed ad orationis animique contextum vel verbis exprimendum nemo non perspicit. — *sincerum]* i. e. verum, *εἰλικρινές*. Postulatur sinceritas orationis aliis verbis in ep. 100, 11; 75, 2—4 etc. summo cum ardore. — *fracti]* vocatur animus eius, cuius oratio putidum ornatum captat; in ep. 114, 1 dicitur ipsa oratio <infracta>. — *non est ornamentum virile concinnitas]* virilis *ἀνδρώδης* e. g. *ῥυθμοὶ ἀν.* Dionys. Hal. de Dem. 39, 1071. Concinnitatis (Gr. *ἁρμονία*) vox a Cicerone formata (Causeret l. l. p. 29 adn. 2) et cum laude dicta de verborum membrorumque ordine apto ac numeroso, hoc loco malam in partem dicitur: comprehendit orationis exquisitam accurationem artisque captationem, similiter Suet. Aug. 86 <vitatis sententiarum ineptiis atque concinnitatis>. Utitur Seneca voce sine ullo attributo, apud Ciceronem coniungitur cum attributis <sententiarum, verborum, orationis>. Reicit Seneca concinnitatem ut ornatum viro indignum, idem facit Messala (Tac. dial. 26, 4) <melius est orationem vel hirta toga induere (cf. Quintil. XII, 10, 47 et

IX, 4, 142) quam fucatis et meretricibus vestibus insignire neque enim oratorius iste, immo hercle ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores . . . utuntur> et Quintil. VIII, 3, 6 <ornatus virilis et fortis et sanctus sit nec effeminatam levitatem et fuco ementitum colorem amet, sanguine et viribus niteat> cf. VIII, pr. 20 supra cit.. Dicit S. hoc loco tantum in universum de orationis ornamento, *κόσμῳ λέξεως* (cf. etiam 75, 5), quod omissis inusitatis novatis translatis verbis (Cic. de or. III, 38, 152) praecipue in figuris et tropis consistit et a scriptoribus de elocutione disserentibus multis verbis tractari solet. A Seneca singulae figurae non tractantur excepta metaphora, de qua in ep. 58, 6—8, 114, 1; 10 disputatur, sed his quoque locis magis in universum. Non nominatur, sed designatur sine dubio a Seneca *ὑπέρβατον* et *ὑπερβολή*, cum in Maecenatis oratione improbat verborum collocationem liberiorem ornatus et numeri causa et superlationem veritatis, quae adhibetur ad res augendas sive minuendas. De figuris in universum cf. ep. 108, 35 <non captamus translationes improbas figurasque dicendi>, de Benef. V, 6, 5 <vir facetus (Socrates) et cuius per figuras sermo procedere solitus erat (i. e. oblique tecte simulate dicendi genus, in quo aliquid *ἐμφάσεως* et *εἰρωνείας* inesset Ruhk.). — 18 *ad (philosophiam) non perducet te oratio fluens leniter]* nimirum supplendnm est <sola>, quae vituperatio non valet, si oratio fluens leniter continet res magnas et sine cura contingit (75, 5); cum Fabiani oratio leniter lapsa haec praestet, laudatur non iniuria (100, 1).

§ 3 ep. 75, 1—7.

<*Minus tibi accuratas a me epistulas ... temptanda sunt*>.

Adiungimus statim ep. 75, in qua tractentur res cum duabus epistulis antecedentibus imprimis 115 arte cohaerentes. Se defendit S. contra Lucilium, qui epistularum Senecae stilum esse minus accuratum questus est, atque exponit, qualis philosophi oratio esse debeat. Quae epistula quanti sit nobis momenti ad Senecae opinionem quam habuit de philosophi oratione statuendam iam tetigi. Confirmatur et amplificatur hac epistula id, quod de Lucilii oratione ex ep. 115 concludere licet, ac valde dolendum est, quandoquidem de Lucilii scriptis

nihil servatum est, nos comparata Senecae et Lucilii oratione enucleare non posse, quibus in rebus posita fuerit Lucilii nimia cura. Ceterum intellegimus ex hac epistula Quintilianum, qui quidem Senecam in corruptis numerat, non primum in eum invectum esse, sed iam Seneca (X, 1, 130) vivo fuisse, qui eius elocutionem vituperarent. — Argumentum quo nititur Senecae defensio est hoc: Evitat orationis curam, quia ei <accuratum esse> idem est quod <putidum esse>. Pergit iam orationem suam copiose describere. Pertinere autem ea, quae docet, non solum ad epistulas, id quod ex verbis <tales esse epistulas volo> concludatur, verum ad omnia opera de philosophia scripta, quin etiam maximam in partem ad disputationes, quae plus strepitus minus familiaritatis (ep. 38, 1) quam sermo habent, elucet ex verbis <etiamsi disputarem . . . abiecissem> de quibus cf. p. 12. — Ac primum quidem ostendit orationem suam parem esse sermoni i. e. <illaboratam et facilem>, nec <exornatam> nec <abiectam>, deesse quaecunque <ficta et arcessita> sint. Oratio ei nihil est nisi instrumentum necessarium, ne dicam molestum, quo quid sentiat aperit. Addit orationem suam esse veram: quae scribit, non solum sentit, sed amat. Qui amor qualis esset quoniam exemplo demonstravit, reicit, siquis nisus voce <illaboratus> suspicetur commendari orationem aridam, neque enim omnem sermonis elegantiam contemnit, cum ieiuna oratio dedeceat philosophiae materiam; sed statim addit, ne collidat cum postulato primo, multum operae orationi non navandum esse. Affirmavit Seneca orationem suam esse sinceram i. e. congruere cum animo; hanc sinceritatem vocat iam propositi summam et amplificat <sinceritatis> notionem, cum postulat ut sermo concordet etiam cum vita, non solum cum animo. Tum orationis finem iudicat profectum, non delectationem. Quodsi eloquentia sine cura contingit, animo permittitur exceptio, sed optatur etiam tum, ut eloquentia magis res quam se ipsam ostendat. Hic contemptus artificiosae orationis explicatur fine philosophiae, quae pertinet ad animum, non ad ingenium. Summum pondus in rebus ponendum esse demonstratur postremum exemplis medici et gubernatoris: si invenitur medicus simul eloquens, hoc est gratum, commendatio non est;

quibus verbis quin imprimis illustretur sententia <si tamen contingere ... prosequatur> non dubium est. — *quis enim]* supplendum est antea animo sensus <concedo non esse accuratas>. de <minus accuratas>, <putide>, <sollicito> (§ 5) cf. adnot. ad <sollicita> (100, 4). — Non satis habet Seneca dicere orationem suam esse parem sermoni, addit <*si una sederemus aut ambularemus*>, familiarem igitur sedatumque loquendi modum comprehendit, in quo stili leges et ars nihil valent: est *facilis* i. e. praestat flumine naturali, etiam in pronuntiatione facilitas commendata erat (40, 12). Altera sermonis qualitas exprimitur voce <*illaboratus*> cf. dial. IX, 1, 13 <inelaborata oratio>, i. e. naturali et inaffectata simplicitate ut Fabiani <non tractata nec diu torta> (100, 2). Abest igitur <*arcessitum*> i. e. coactum et artificiose elaboratum (*βεβιασμένον* vel *περίεργον* cf. Quintil. IX, 4, 147 numeri sponte fluxisse non arcessiti et coacti, XII, 10, 40 nihil arcessiti et elaborati), quod oppositum est notioni <innatum> (cf. Quintil. VIII, 3, 56; 6, 7; IX, 3, 74) et <simplex> (cf. Quintil. VIII, pr. 23 <sunt optima minime arcessita et simplicibus atque ab ipsa veritate profectis similia, nam illa quae curam fatentur et ficta atque composita videri etiam volunt>). <*fictum*>, *πεποιημένον*, fere synon. vocis arcessitum, comprehendit omnia, quae abhorrent a vero (ep. 16, 2 <non ficta nec colorata>, Quintil. II, 1, 9, XII, 10, 40) et nova sunt (Hor. a. p. 50, 52, 240). Suppletur sermonis Annaeani descriptio ep. 38, 1: <merito exigis, ut hoc inter nos epistularum commercium frequentemus . plurimum proficit sermo, quia minutatim inrepit animo> cf. ep. 40, 3/4. Eadem sermonis virtus collaudatur in ep. 13, 4 <non loquor tecum Stoica lingua (i. e. dicendi acerbitate et spinis Cic. de fin. 28, 79) sed hac summissiore> cf. 38, 1 <ubi non hoc agendum, ut velit discere, sed ut discat ad haec summissiora verba veniendum est . facilius intrant et haerent, non enim multis opus est, sed efficacibus (i. e. pressis rebusque aptatis 59, 5) pauca sunt, quae dicuntur ...>. Cum descriptione orationis Annaeanae in ep. 75, 1—5 et 59, 4—6 conveniunt egregie, quae Quintilianus addens verba <qua in disputatione nonnihil veri est>, dicit XII, 10, 40/41: <adhuc quidam nullam esse naturalem eloquentiam nisi quae sit c o t i d i a n o s e r m o n i simillima, q u o

cum amicis coniugibus liberis servis loquamur contento promere animi voluntatem nihilque arcessiti et elaborati requirente: quidquid huc sit adiectum, id esse adfectationis et ambitiosae in loquendo iactantiae, remotum a veritate fictumque ipsorum gratia verborum, quibus solum natura sit officium attributum servire sensibus (= Dionys. Hal. de Isocr. 13 *βούλεται ἡ φύσις τοῖς νοήμασιν ἕπεσθαι τὴν λέξιν*) . . . 41 quid enim, inquiunt, attinet circumitu res ostendere et translationibus i. e. aut pluribus aut alienis verbis, cum sua cuique sint adsignata nomina? 42 denique antiquissimorum quemque maxime secundum naturam dixisse contendunt>. Quintilianum his verbis Senecae ipsius verba denotare negaverim quamvis similia sint, videtur potius iisdem ex fontibus hausisse quibus Seneca. Nam tangit Fabius alibi nusquam epistulas nostras. Accedit quod sensus idem iam ante Senecam ab aliis scriptoribus explicati sunt, scl. a. Stoicis (cf. Smiley, Latinitas and *Ἑλληνισμός*, Wisconsin 1906, diss., p. 236 et Reitzenstein, Straßb. Festschr. 1901, p. 154) et ab Epicuro Philodemoque (cf. Radermacher, mus. rhen. XLIV [1899], p. 364). In oratione artificiosa improbanda (Cic. de or. 3, 66, Epicur. p. 112—14 Usener) et dictione propria (*κυρίᾳ*) laudanda (Philod. rhet. I, p. 150/51, Cic. ad fam. IX, 22, 1, Diog. Laert. X, 13) consensus est inter Stoicos et Epicureos: Nam utrique sectae propositum est naturam sequi (Cic. de offic. I, 128 Epic. p. 114 Usener) in oratione. Sermonem autem Panaetius, commendavit (Augustin. de princip. dial. c. VII, 134, Cic. de off. II, 10, 35, cf. Reitzenstein, l. l.) et eodem modo quo Seneca <Stoicorum tristitiam atque asperitatem fugiens nec acerbitatem nec spinas probavit fuitque in altero genere mitior in altero illustrior> (Cic. de fin. IV, 28, 79). Sermonem esse proprium philosophorum iudicavit Cicero (or. 62 sq.): <quamquam philosophi quidam ornate locuti sunt (ut Theophrastus, Isocrates, Xenophon, Plato) tamen horum oratio neque nervos neque aculeos oratorios ac forenses habet. Mollis est enim oratio philosophorum et umbratilis nec sententiis nec verbis instructa popularibus nec vincta numeris sed soluta liberius casta verecunda virgo incorrupta quodammodo.

Itaque sermo potius quam oratio dicitur.>. Horatius autem sermonem fecit sermonum exemplar. Hanc similitudinem inter Senecam et Horatium non in singula produci debere quantum quidem ad dialogi formam attinet, recte ni fallor docuit Hirzel (D. Dialog II, p. 25 [1895]) contra Leonem, qui (Hermes XXIV, p. 84 [1889]) per occasionem quidem animadvertit nihil magis ad sermonem Horatianum accedere quam Senecae dialogos et epistulas. Contra censuerim nimis acrem esse Hirzelium et cum eo Peterum (l. l., p. 231/32), qui quid Hirzel iudicaverit fusius explanavit, in eo quod dicunt sermonis orationisque simplicis laudationem et inanium disputationum vituperationem (117, 25) esse vana verba, quae in rhetorum scholis exercitata etiam a Seneca efferrentur, cum putaret sibi philosopho iis opus esse, re vera tamen summam diligentiam et curam consumptam esse in epistulis expoliendis non solum in stilo, sed etiam in epistularum forma. Non negamus orationem Annaeanam non prorsus cum sermone cotidiano congruere, at licetne hoc postulare in litterarum operibus? Hoc quidem certum est in universum epistularum elocutionem consentire cum legibus a nostro statutis et valde abhorrere a rhetorum disputationibus, id quod infra paucis perstringemus. — *ostendere]* cf. contentus sensus meos ad te pertulisse. — *nec exornassem nec abiecissem]* duae oppositiones, id. Cic. Brut. 227 <verbis non ille quidem ornatis utebatur sed tamen non abiectis>. Illud dicitur de nimio cultu, hoc de triviali dicendi genere. In ep. 114, 7 <tam neglegenter abiecta verba> adiectum est adverbium <neglegenter>, quamquam neglegentiae notio vel per se insit in <abicere> cf. Cic. or. 55, 184 senarios abiectos, de or. 3, 26, 102 abicere versum = neglegenter pronuntiare, synonym. abiciendi est extenuare (Cic. Tusc. V, 18, 51 de or. III, 26, 104) et elevo (Cato 24, 9, schol. Cic. Bob. p. 265 B.). — *amare]* i. e. cum amore et ardore sensus colere; significat sentiendi quasi gradum maiorem, qui in ep. 100 et 115 nondum expressus est. — *ieiuna et arida]* synonyma eodem modo a Quintil. II, 4, 3 et 3, 1 coniuncta. Similem vim habent <siccus exilis exsanguis exsuccus e. a.> (multa hac de re Gudeman l. l. p. 237) ξηρός. Et in rebus et in ipsa oratione designanda usurpantur hae voces. Seneca spectat ad verba et docet orationem

philosophi copia et virtute oratoria prorsus carere se nolle nulla quidem oblectationis legentium ratione habita. Cum reicit exilitatem presso dicendi generi vitium contrarium (Cic. Brut. 55, 202; Quintil. X, 2, 16) minime abhorret a proposito suo simpliciter dicendi (40, 4); neque enim sunt simplex et ieiunum synonyma, potius est simplex in medio inter ieiunum et tumidum. <ξηρὸς> χαρακτὴρ contrarius τῷ ἰσχνῷ (Demetr. de eloc. 236) aeque dicitur vitiose. Cicero (Brut. 30, 113, de or. III, 18, 66) exilitatem attribuit eis philosophis, qui multo in acumine et arte dialectica elocutionis virtutibus destituti essent scl. Stoicis. Atticos quoque persaepe vocari exiles satis notum est. — *neque enim philosophia ingenio renuntiat]* scl. in oratione effingenda; ingenium infra § 5 aliarum artium proprium esse dicitur. Apte conferatur hunc ad locum Quintil. VIII, pr. 20 <cultus concessus atque magnificus addit hominibus auctoritatem>. Orationis tractationem artificiosiorem prorsus repudiatam esse a Stoicis nemo nescit cf. Cic. or. 16, 51. — *quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus]* quibus in verbis, quorum in altera parte pondus est maius, offendit Norden (l. l. p. 306), <Wird es nicht schwer einem zu glauben, der diese propositi summa in ein pointiertes σχῆμα kleidet?> iniuria crediderim, nam effluebant Senecae ut erat ingeniosissimus vir sententiae, id quod potissimum apparet ex dialogo <de brevitate vitae> qui sententiis completus est. — *videbimus qualis sit, quantus sit: unus sit]* removendi et differendi usum verbi <videbimus> p. 51 explicavimus. Hoc loco docuit S. eum probandum esse, qui et cum videretur et cum audiretur idem esset. Qui vir qualis sit et quantus, hanc ad rem nihil attinet, qua de causa verba <videb . . . quantus sit> inculcuta quam celerrime expediuntur, quo maiore vi pronuntietur sententia <unus sit> i. e. convenientia sit in vita; quod supra in verbis <idem est> tantum statutum est, id nunc postulatur. Quamvis inopinata sit haec postulatio, si respicimus grammaticam periodi structuram, attamen non facio cum Madvigio qui scribit sine dubio commotus causa prolata: <unus est>, nam augetur sensus multoque aptior fit, si probamus postulationem quae est in <sit>. Forbiger totius loci sensum non intellexit, cum suspicatus est

nisus coniunctivo <sit> in <unus> latere corruptum tertium membrum: <unde sit>. <unum hominem agere> vocatur res magna, qua sapiens differat a ceteris multiformibus (ep. 34, 4; 35, 4; 24, 19; 120, 22). — *si tamen . . . constat]* duabus sententiis <si parata est> et <si parvo constat> illustratur sententia <si — potest>, cum afferuntur contingendi duae rationes, quae carent magna cura. — *sit talis]* quamquam sensus huius sententiae artissime cohaeret cum antecedente, adiuncta est sine ulla coniunctione, qua re hiare videtur conexus. Sed cum Seneca saepius sententias adversativas sine ulla particula struat, puto nec rectum esse Muretum, qui <sit> delet nec Henseum, qui verba <talis — ostendat> aeque atque Muretus verbo <prosequatur> applicat, cum proponit <set> pro <sit>; duas autem sententias commate, non puncto separo. Ad sensum qui est in <sit — ostendat> cf. Quintil. VIII, 20 ubi similia postulantur ab oratoribus <curam ergo verborum, rerum volo esse sollicitudinem>. — Medici atque gubernatoris exemplis utitur Musonius quoque Stoicus, Senecae aequalis (p. 20 ed. Hense) ut ostendat maiorem laudem ei tribuendam esse, qui peritus sit rerum quam verborum. Seneca comparationem variat, cum ex eloquenti gubernatore reddit pulchrum. Ita fit, ut taedium vitetur et res, de quibus est sermo, melius illustrentur. De philosopho cum medico comparato cf. ep. 40, 4 not. — *circa]* cf. ep. 115, 1 adn. — *quid aures meas scabis]* scl. verbis dulcibus Was suchst du mein Ohr durch schöne Worte zu kitzeln? metaphora a <caput scabere> ducta vim habet similem verbi sequentis <oblectas>. Persius (sat. I, 21) similiter utitur verbo <scalpere>: tremulo scalpuntur ubi intima versu. Madvig (adv. crit. II, 487) suspicatur <scabis> corruptam esse ex <capis>, cum <aures scabere> non dicatur de grato verborum sonitu; quam propositionem non probo, nam inest in verbis <quid aures meas scabis> hoc loco indignatio quaedam: aegrotus graviter fert medicum, qui verbis dulcibus non medicina usus curationem prolatet. Hensei adnotatio „interpretatur Seneca Graecum illud *τὴν ἀκρόασιν λεαίνειν*“ (cf. Schäfer ad Dion. Hal. de comp. 137) non recta est, potius utitur verbo Graeco *κνίζειν,* quod et proprie et translate iisdem de rebus atque scabere dicitur.

§ 4 ep. 59, 4—7.

<*Audi quid me in epistula . . . nihil tumidi*>.

Duplicem laudem tribuit Seneca orationi Lucilii (cf. ep. 115 ubi Lucili nimiam curam vituperat): Primum delectatus est oratione pressa rebusque aptata cf. ep. 71, 4 <nec multis verbis nec circuitu longo quod sit summum bonum colliges: digito ut ita dicam demonstrandum est nec in multa spargendum ad haec>. Qua in re posita sit oratio pressa aperte docet: Lucilius scit rectum verbum suo loco ponere, ipse regit verba, non regitur verbis. Ita accidit, ut oratio eius sensuum plena sit. Opponuntur ei, qui verborum dulcedine commoti de proposito discedunt. Ut autem in ep. 115 oratio putida et in ep. 100, 4 oratio sollicita, ita hoc loco pressa cum animo componitur et pronuntiatur conclusio: Animus Lucilii liber est tumore. Deinde laudat Seneca usum translationum, quae adhibentur demonstrandi, non delectandi causa. Exemplum ex Quinti Sextii libris repetitum, quo quod in universum exposuit illustrat, similiter in epistulis nostri legitur e. g. 64, 4; 82, 4. — *multi sunt . . . vocentur]* cf. ep. 90, 20 <facile etiam magnos viros dulcedo orationis (*γλυκύτης λέξεως*) abducat a vero>; similiter Quintil. VIII, pr. 17—18, 24 <est in quibusdam turba inanium verborum, qui ducti specie nitoris circumeunt omnia copiosa loquacitate. 24 quod recte dici potest circumimus amore verborum et quod satis dictum est, repetimus et quod uno verbo patet, pluribus oneramus> cf. I, 8, 9; IV, 1, 77; VI, pr. 7. Dionys. Hal. reprehendit *περιττολογίαν καὶ καλλιεπεῖν* in Platone (Demosth. 5, 956/66; 23, 1025; 28, 1041; 29, 1043). — *pressa] πυκνὸς* dicitur de nervosa brevitate (cf. Mayor ad Quintil. X, 1, 44; Cic. de or. II, 96; Quintil. VIII, 3, 40; Tac. dial. 2, 12; 18, 19), quae a Stoicis tertia totius orationis virtus aestimata (Diog. Laert. VII, 40, 59) definitur ab auct. ad Her. (IV, 54, 67) et Quintil. (IV, 2, 40) et Aristid. (rhet. II, 500 Sp.): <*βραχύτης καὶ συντομία ὅταντις μὴ παραφραστικαῖς τῶν λέξεων ἀλλὰ ταῖς εὐθείοις χρῆται, ὅταν μὴ ἐπαγωνίζηται τῇ λέξει τὰ ἰσοδυνομοῦντα παρατιθεὶς ἀλλὰ δηλώσας τὸ πρᾶγμα τῇ σημαινούσῃ λέξει εὐθὺς ἀπαλλαγῇ καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ὅταντις μὴ φιλοτιμῆται πρὸς τὴν λέξιν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὰ πράγματα βλέπῃ*>. Similibus verbis atque

nisus coniunctivo <sit> in <unus> latere corruptum tertium membrum: <unde sit>. <unum hominem agere> vocatur res magna, qua sapiens differat a ceteris multiformibus (ep. 34, 4; 35, 4; 24, 19; 120, 22). — *si tamen . . . constat]* duabus sententiis <si parata est> et <si parvo constat> illustratur sententia <si — potest>, cum afferuntur contingendi duae rationes, quae carent magna cura. — *sit talis]* quamquam sensus huius sententiae artissime cohaeret cum antecedente, adiuncta est sine ulla coniunctione, qua re hiare videtur conexus. Sed cum Seneca saepius sententias adversativas sine ulla particula struat, puto nec rectum esse Muretum, qui <sit> delet nec Henseum, qui verba <talis — ostendat> aeque atque Muretus verbo <prosequatur> applicat, cum proponit <set> pro <sit>; duas autem sententias commate, non puncto separo. Ad sensum qui est in <sit — ostendat> cf. Quintil. VIII, 20 ubi similia postulantur ab oratoribus <curam ergo verborum, rerum volo esse sollicitudinem>. — Medici atque gubernatoris exemplis utitur Musonius quoque Stoicus, Senecae aequalis (p. 20 ed. Hense) ut ostendat maiorem laudem ei tribuendam esse, qui peritus sit rerum quam verborum. Seneca comparationem variat, cum ex eloquenti gubernatore reddit pulchrum. Ita fit, ut taedium vitetur et res, de quibus est sermo, melius illustrentur. De philosopho cum medico comparato cf. ep. 40, 4 not. — *circa]* cf. ep. 115, 1 adn. — *quid aures meas scabis]* scl. verbis dulcibus Was suchst du mein Ohr durch schöne Worte zu kitzeln? metaphora a <caput scabere> ducta vim habet similem verbi sequentis <oblectas>. Persius (sat. I, 21) similiter utitur verbo <scalpere>: tremulo scalpuntur ubi intima versu. Madvig (adv. crit. II, 487) suspicatur <scabis> corruptam esse ex <capis>, cum <aures scabere> non dicatur de grato verborum sonitu; quam propositionem non probo, nam inest in verbis <quid aures meas scabis> hoc loco indignatio quaedam: aegrotus graviter fert medicum, qui verbis dulcibus non medicina usus curationem prolatet. Hensei adnotatio „interpretatur Seneca Graecum illud *τὴν ἀκρόασιν λεαίνειν*“ (cf. Schäfer ad Dion. Hal. de comp. 137) non recta est, potius utitur verbo Graeco *κνίζειν,* quod et proprie et translate iisdem de rebus atque scabere dicitur.

§ 4 ep. 59, 4—7.

<*Audi quid me in epistula ... nihil tumidi*>.

Duplicem laudem tribuit Seneca orationi Lucilii (cf. ep. 115 ubi Lucili nimiam curam vituperat): Primum delectatus est oratione pressa rebusque aptata cf. ep. 71, 4 <nec multis verbis nec circuitu longo quod sit summum bonum colliges: digito ut ita dicam demonstrandum est nec in multa spargendum ad haec>. Qua in re posita sit oratio pressa aperte docet: Lucilius scit rectum verbum suo loco ponere, ipse regit verba, non regitur verbis. Ita accidit, ut oratio eius sensuum plena sit. Opponuntur ei, qui verborum dulcedine commoti de proposito discedunt. Ut autem in ep. 115 oratio putida et in ep. 100, 4 oratio sollicita, ita hoc loco pressa cum animo componitur et pronuntiatur conclusio: Animus Lucilii liber est tumore. Deinde laudat Seneca usum translationum, quae adhibentur demonstrandi, non delectandi causa. Exemplum ex Quinti Sextii libris repetitum, quo quod in universum exposuit illustrat, similiter in epistulis nostri legitur e. g. 64, 4; 82, 4. — *multi sunt . . . vocentur]* cf. ep. 90, 20 <facile etiam magnos viros dulcedo orationis (*γλυκύτης λέξεως*) abducat a vero>; similiter Quintil. VIII, pr. 17—18, 24 <est in quibusdam turba inanium verborum, qui ducti specie nitoris circumeunt omnia copiosa loquacitate. 24 quod recte dici potest circumimus amore verborum et quod satis dictum est, repetimus et quod uno verbo patet, pluribus oneramus> cf. I, 8, 9; IV, 1, 77; VI, pr. 7. Dionys. Hal. reprehendit *περιττολογίαν καὶ καλλιεπεῖν* in Platone (Demosth. 5, 956/66; 23, 1025; 28, 1041; 29, 1043). — *pressa] πυκνὸς* dicitur de nervosa brevitate (cf. Mayor ad Quintil. X, 1, 44; Cic. de or. II, 96; Quintil. VIII, 3, 40; Tac. dial. 2, 12; 18, 19), quae a Stoicis tertia totius orationis virtus aestimata (Diog. Laert. VII, 40, 59) definitur ab auct. ad Her. (IV, 54, 67) et Quintil. (IV, 2, 40) et Aristid. (rhet. II, 500 Sp.): <*βραχύτης καὶ συντομία ὅταντις μὴ παραφραστικαῖς τῶν λέξεων ἀλλὰ ταῖς εὐθείοις χρῆται, ὅταν μὴ ἐπαγωνίζηται τῇ λέξει τὰ ἰσοδυνομοῦντα παρατιθεὶς ἀλλὰ δηλώσας τὸ πρᾶγμα τῇ σημαινούσῃ λέξει εὐθὺς ἀπαλλαγῇ καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ὅταντις μὴ φιλοτιμῆται πρὸς τὴν λέξιν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὰ πράγματα βλέπῃ*>. Similibus verbis atque

Seneca hoc loco de Lucilio, dicit Cicero (de or. II, 56) de Thucydide <ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur ita porro verbis aptus et pressus ut nescias utrum res an verba sententiis illustrentur> cf. Quint. X, 1, 73. Pressi iudicantur praecipue Attici, quibus opponuntur Asiani inflati et inanes (ep. 114, 1; Quintil. XII, 10, 16; cf. X, 1, 44 [de Atticorum imitatoribus]; Cic. Brut. 13, 51). Eodem modo quo <pressus> dicitur <densus> Quintil. X, 1, 76 <tam densa omnia (apud Demosthenem) is dicendi modus ut nec quod desit in eo nec quod redundet invenias; cf. etiam quae de <premere> et pressus> in ep. 40, 2 adnot. — *aptata rei]* notio cum <presse dicere> artissime cohaerens et translata ad orationem a veste corpori arte apteque accommodata cf. imaginem similem quae subest in Graecis verbis <*ταῦτα κεκολπωμένα σφίγξαι* (Dion. Hal. Dem. 19, 1010). Utitur Lucilius non solum paucis, verum etiam semper convenientibus verbis. Respondet locutioni <aptata rei> prorsus Graecum *πρέπον,* quod una cum *συντομία* enumeratur in orationis virtutibus et exprimit *λέξιν οἰκείαν τῷ πράγματι* Diog. Laert. VII, 59 (Diog. Babyl.). Similiter atque <verba pressa reique aptata facere> usurpatur <figere verba>, quod orationi Fabiani deesse Lucilius in ep. 100, 1 contendit. Quae cum ita sint dicat quis Senecam dissentire animo, cum laudet simul pressam Lucilii orationem et Fabiani fusam; sed consideres utrumque simplici oratione uti et liberum esse inanium verborum cura. Discrimen autem quod est inter duos auctores non ita magnum est, neque Fabianus potest vocari tumidus: sensus eius erant latius quam recentium sensus dicti, nec licet Lucilium in illis scriptoribus numerare qui in obscuritatem inciderunt. Tum reputandum est Senecae laudem, quae tribuitur Lucilio presse dicenti, ortam esse ex postulato verae orationis: ita ut laudem orationis fusae ex postulato securitatis: nam quicumque sensus suos integros aperire studet, rebus verba quam artissime aptare debet et omnia supervacua effugere. Numeratur pressa oratio a Quintil. (X, 2, 16) quoque in virtutibus, et ut Quintilianus vitium presse dicendo proximum appellat <exilem esse> — dicit enim <plerumque declinant in peius et proxima virtutibus vitia comprehendunt

fiuntque pro pressis exiles> — ita Seneca philosophi orationem ieiunam et aridam non vult. Ne id quidem omittimus, quod Quintilianus etiam orationem copiosam magis quam nimis brevem laudat (IV, 2, 44) <non minus cavenda erit, quae nimium corripientis omnia sequitur obscuritas satiusque est aliquid narrationi superesse quam deesse: nam supervacua cum taedio dicuntur (cf. 40, 3), necessaria cum periculo subtrahuntur>. — *loqueris . . . loqueris]* sensus interdum numerosiores sunt in Lucilii oratione quam verba. Obscuritatem fuisse in eius verbis non licet concludere hoc ex loco et minime abhorret Lucilii laus a vituperatione, quae datur in ep. 114, 1 eis, qui adhibent <abruptas sententias et suspiciosas in quibus . . .> et castigantur etiam a S. rh. contr. II, 1, 33. Num Cassius Severus, cuius explicationes <plus sensuum quam verborum> habebant (contr. III, pr. 7) in obscuritatis vitium inciderit, valde dubitet, qui eius descriptionem l. l. legit. Cum locis citatis non debet confundi Quintil. VIII, pr. 24 <pleraque significare melius putamus quod dicere> quia „significare" hoc loco vim habet <circumscribere>, non <paucissimis verbis exprimere> id quod evadit toto loco qui praecedit <quod recte dici potest circumimus amore verborum et quod satis dictum est repetimus et quod uno verbo patet pluribus oneramus . . .> cf. etiam § 23. Quomodo autem cohaereat cum verbis de dicendi brevitate a Seneca elatis Quintil. XI, 3, 65 <(gestus) pleraque etiam citra verba significat> (Preisendanz l. l. p. 78 adn. 23), ego quidem non intellego. — Ad sententiam duplicem <loqueris . . . loqueris> adnotat Ruhkopfius conferens Cic. de or. III, 202 et or. 40, 139 <est *ἔμφασις*>, recte, sed reputandum est figuram significationis habere vim latiorem (auct. ad Her. 4, 53, 67): <significatio est res quae plus in suspicione relinquit quam positum est in oratione. Ea fit per exsuperationem ambiguum consequentiam abscisionem similitudinem> cf. Ernesti s. v. significatio; Volkmann, p. 445; Roberts, On Lit. Comp. p. 18.

<*iuvenio tamen translationes . . . illa*>.

Particula adversativa <*tamen*>, qua expositio de Lucilii translationibus annectitur et orationi nihil tumidi continenti opponitur, ideo posita est quod metaphorae in simplici oratione

supervacuae esse videntur. — *translationes verborum]* cf. ep. 114, 1 <translationis iure>, 114, 10 <translatio audax et frequens> Gr. *μεταφοραί*. Utitur Seneca hac in epistula vocibus <translatio imago parabola> ut synonymis, quamquam inter se discrepant cf. auct. de subl. XXXVII <*ταῖς μεταφοραῖς γειτνιῶσιν αἱ παραβολαὶ καὶ εἰκόνες*> plura his de vocibus infra. Cuius rei causa posita est in eo, quod cupit simpliciores verasque translationes usurpari ad demonstrandas res, non varia metaphorarum genera artificiose excogitata ad orationem ornandam. Metaphorarum usum qualis permissus est poetis, quorum dictionis pars magna expletur figuris, ab oratione philosophorum alienum esse non diserte dicit sed significat. Relegat autem ad antiquos, qui plausum nondum ingeniosis metaphoris captabant, sed perspiciendi et intellegendi causa permultas imagines adhibebant. Vult igitur Seneca philosophi metaphoras esse eas, quas <necessitas genuit inopia coacta et angustiis (post autem iucunditas delectatioque celebravit)> (Cic. de or. III, 38, 155), non ad proprium orationis ornatum pertinentes, quae a Cicerone (ibid.) audaciores iudicantur cf. his cum verbis, quae in ep. 115, 2 ad <ornamentum> adnotavi. Dissentit hac in re a plerisque auctoribus de metaphoris scribentibus ut ab auct. de subl. qui (XXXII, 6) de metaphoris, quas commendat praecipue locis *παθητικοῖς καὶ φραστικοῖς* dicit: *μεγάλαιτε φύσιν εἰσὶν αἱ τροπικαὶ καὶ . . . ὑψηλοποιὸν* cf. XVI, 1. — Intellegimus autem iterum iterumque finem orationis philosophi a Seneca in animorum profectu, non in delectatione poni. — Ad illustranda ea quae Seneca de metaphoris exposuit cf. p. 17sq., ubi imagines Senecae paucis tractatae sunt. — <*parabola*> Bild Gleichnis ex oratione Graeca in Latinam recepta est; <imago> exprimitur a Graecis voce *εἰκών*. Voces *εἰκὼν* et *παραβολὴ* saepe eodem sensu adhibentur (Volkmann, p. 445). Conversa est *παραβολὴ* voce Latina similitudo (Quintil. V, 11, 1), Cicero vocavit parabolen <collationem> (Quintil. V, 11, 23). Definitur parabola a Quintil. (VIII, 3, 77) <in omni parabole aut praecedit similitudo, res sequitur aut praecedit res et similitudo sequitur>. Quid apud Senecam inter imaginem et translationem intercedat, ne ex de benef. IV,

12, 1 quidem apparet <cum creditum dicimus imagine et translatione utimur. sic enim et legem scimus iusti iniustique regulam esse : et regula non est res per se expetenda . ad haec verba demonstrandi rei causa descendimus : cum dico creditum, intellegitur tamquam creditum . vis scire? adicio insolubile, cum creditum, nullum non solvi aut possit aut debeat>. Nimirum describit similitudo vel imago aliquid ita similitudine alterius rei ut quasi in rem praesentem venias (Quintil. IV, 2, 123); translatio adhibetur si verbo proprio carentes simili utimur aut translatum proprio melius est (Quintil. VIII, 6, 5). — Imago haud idonea percensetur a Seneca fusius in ep. 92, 20/21. — Opposita sunt enuntiata <temerarias> et <periculum sui fecerint>: Illae inconsultae et audaces vigebant Senecae aetate et improbantur ep. 114, 1 cf. p. 102 plura hac de re. — Lucilii metaphorae sunt novae et inusitatae, tamen non <indecorae> — haec duo verba ante <quae> silentio inserenda sunt (Schweighäuser) — itaque habent spem atque facultatem probationis. — *periculum facere* cum genit. = einen Versuch machen mit; in ep. 100, 4 = sich in Gefahr begeben cf. Curt. Ruf. IV, 9, 12 <Mazaeo qui ad inhibendum transitum occurrerat non auso periculum sui facere>. — *eloqui]* eloquendi notio numeratur in quinque orationis partibus <reperire disponere meminisse eloqui pronuntiare> (auct. ad. Her. IV, 56). Videtur verbum hoc loco consulto a Seneca in antiquorum oratione describenda usurpatum esse, cum inveniatur apud antiquos Romanorum scriptores persaepe. — *imbecillitatis nostrae]* scl. nostrae linguae; non potest lingua nostra ea, quae sentimus plene aperire. Quod hoc loco effertur, illustratur pluribus verbis in ep. 58, 1—7, ubi linguam Latinam si comparetur cum Graeca verbis egere docet Seneca. — *Sextium]* haud dubie Quintum Sextium (ep. 64, 2 lectus est deinde liber Q. Sextii patris), qui condidit <sectam iam inter initia sua exstinctam, cum magno impetu coepisset> (n. quaest. VII, 32). In assectatoribus eius numerantur filius et duo praeceptores Senecae scl. Sotion Alexandrinus et Fabianus; Sextius non instruxit Senecam (Schanz, R L. II[2] (1901), p. 287/88), alia cf. ap. Überweg-Heinze, Grundr. 1909, p. 299, 304, 112* et Zeller, l. l. III, 1[4], p. 699 sq. impr. 701 adn. 4.

Complectamur iamiam, quae epistularum interpretatione enucleavimus de philosophi oratione. Postulat Seneca orationem philosophi propriam, quae eodem modo quo philosophia ipsa ad animum, non ad ingenium (cf. 75, 5; 108, 23/24; 114, 3) pertineat. Quod attinet ad dicendi genus in dissertationibus popularibus adhibendum, de quo in ep. 52, 15 legimus: <quemadmodum populo disserendum, quid sibi permittendum, quid populo apud se, desiderat propriam et longam exsecutionem> pares leges valere persuasum habeo atque in epistulis et Fabiani libris a nostro laudatis, quorum formam similem fuisse epistularum formae probabile est. Differentia, quae praedicatur l. c., refertur haud dubie ad res tractandas et pronuntiationem. Occurrunt autem dilucide tria postulata ad philosophi orationem spectantia, quae cum philosophia Senecae arto vinculo cohaerent et etiam inter se conexae sunt, nititur enim tertium primo et altero: 1. postulatum utilitatis vel profectus animi, 2. orationis veritatis vel sinceritatis, 3. nativae simplicitatis. Primum refertur ad orationis finem, alterum ad relationem quae sit inter sensus et verba, tertium ad verba ipsa. Prima et summa lex iterum iterumque collaudatur[1]: Emendare, non delectare debet oratio.

[1] cf. praeter locos p. 74 l. ep. 108, 6/7 <quidam veniunt ut audiant non ut discant sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures . . ., magnam hanc auditorum partem videbis, cui philosophi schola deversorium otii sit; non id agunt ut aliqua illo vitia deponant, ut aliquam legem vitae accipiant, qua mores exigant, sed ut oblectamento aurium perfruantur 7. aliqui tamen et cum pugillaribus veniunt, non ut res excipiant sed ut verba quae sine profectu alieno dicant quam sine suo audiant.> 35 <moneo auditionem philosophorum lectionemque ad propositum beatae vitae trahendam, non ut verba captemus et translationes . . sed ut profutura praecepta et magnificas voces et animosas, quae mox in rem transferantur> 45, 1 <non refert quam multos sed quam bonos (libros) habeas: lectio certa prodest, varia delectat>, 16, 3 <non est philosophia populare artificium nec ostentationi paratum, non in verbis sed in rebus est> 20, 1/2 <rogo atque hortor ut philosophiam in praecordia . . . demittas et experimentum profectus tui capias, non oratione nec scripto sed animi firmitate . . . verba rebus proba 2. aliud propositum est declamantibus . . . aliud his qui iuvenum et otiosorum aures disputatione varia aut volubili detinent. Facere docet philosophia, non dicere et hoc exigit ut ad legem suam quisque vivat> 104, 22 <vive cum Chrysippo, cum Posidonio hi . . . iubebunt in opere esse nec tantum scite loqui et in oblectationem audientium verba iactare sed animum indurare et adversus minas erigere>.

Itaque improbantur illi philosophi, qui in oratione magnam operam consumunt et ingenium magis quam animum excolunt scl. philosophi dialectici et philosophi declamantes. Hi de quibus in ep. 40 fuse egimus[1] in verborum copia et sonitu potius quam rerum magnitudine philosophiam ponunt, illi in obscuritate et difficultate notionum. Exturbandos esse iudicat noster artificii veternosissimi nodos, quibus qui interrogetur fallatur et ad confessionem perductus aliud respondeat aliud putet; pro veritate simplicius agendum esse (ep. 82, 19 cf. 7/8, 22–24). Queritur Seneca philosophos diligentius loqui scire quam vivere, cum invidentes grammaticis descenderint ad syllabarum distinctiones et coniunctionum ac praepositionum proprietates (ep. 88, 42; 108, 23/24), simplicem illam et apertam virtutem versam esse in obscuram et sollertem scientiam, quin effert verba (eadem in ep. 95, 13) <postquam docti prodierunt boni desunt>. Ita monet Lucilium, ut <istum ludum litterarium relinquat, qui rem magnificentissimam ad syllabas vocant, qui animum minuta docendo demittunt et conterunt cf. ep. 117, 19/20; 71, 6/7. Parvi aestimat eos, qui <instituunt, disputant, cavillantur> (ep. 64, 3), qui <circumscribunt> et <litigant de verbis quasi iam de rebus diiudicatum sit> (ep. 87, 40/41), qui utuntur <ambiguitatibus et syllogismis et cavillationibus et ceteris acuminis irriti ludicris (ep. 108, 12), <artificiis> (111, 3), <vocum similitudinibus> (117, 5), qui disputatiunculis inanibus suptilitatem vanissimam agitant> (ep. 117, 25; 49, 5, 7, 8, 12). Non intellegit noster, cur Stoicorum prudentissimi viri fecerint <rerum maximarum probationes levissimas et perplexas quae ut sint verae tamen mendacio similes sunt> (ep. 83, 8 agitur de ebrietate). Pro nihilo putantur Stoicorum dialecticorum <nimium subtilium et hoc solum curantium> captiones (i. e. *σοφίσματα,* cavillationes ep. 111, 1), quae <nec ignoranti nocent nec scientem iuvant>

---

[1] Falsus est Mewis, cum l. l. p. 7 censet declamatoribus Senecam ipsum laudem non tribuisse neque tamen vituperationem, nisi certum modum affectus transeant. cf. porro ep. 52, 8 ubi Seneca, cum dicat de duce quem ut formeris eligendum suadet, monet ut eligantur imprimis ii qui factis suis verba confirmant, vitentur qui rhetores agant et verbosi ambitiosique sint atque plausum captent.

(ep. 45, 13, 8 cf. 5); <quibus quisquis se tradidit quaestiunculas vafras nectit, ceterum ad vitam nihil proficit (111, 2) <constantiam cavillationes istae .. praebere non possunt, ludit istis animus, non proficit et philosophiam a fastigio suo deducit in planum> (111, 4), <hoc habent in se pessimum: dulcedinem quandam sui faciunt et animum specie subtilitatis inductum tenent ac morantur (5). Ab his artibus quae circa sapientiam, non in ipsa sunt (117, 19) non arcet prorsus Seneca Lucilium, sed suadet, ut tum demum in eis versetur, cum nihil agere velit (111, 5), cum animus relaxandus et oblectamentis quibusdam reficiendis est (58, 25/26), sed postulat — dixit subtiliter de Platonis ideis — ut studeamus sumere ex his quoque oblectamentis, quae possit fieri salutare. Quae cum ita sint dolet multum temporis eripuisse viris doctis captiosas disputationes, quae nitantur notis nectendis ac dissolvendis (117, 5). Non quomodo disputandum et verba exercenda sint, sed quomodo vivendum animusque exercendus, docere debet philosophus (108, 23/24; 95, 13; 82, 8). Etiam acrius apparet Senecae studium emendandi animi in grammaticis philologis historicis, qui student praecipue ingenio formando, parvi aestimandis (cf. ep. 108, 23/25, 30—32; de brevit. vit. 13, 9; ep. 26, 6; ep. 58, 5; 87, 17; 88, 3, 35—37, 42 sq.; apoc. 5, n. qu. III pr. 5/6 sq., VII, 16, 1 sq.); studia liberalia dicuntur meritoria studia et rudimenta, utilia tantum ad ingenium praeparandum et ad immorandum, quamdiu animus nihil maius agere possit. — Quod attinet ad relationem, quae sit inter sensus et orationem, postulatur ut oratio cum sensibus prorsus consentiat,[1] id quod Lucilius optime assequitur, cum utatur oratione pressa rebusque aptata. Ita ex philosophi oratione politura et ornatus diligens vel duabus postulationibus profectus et sinceritatis exclusa sunt. Cognoscimus orationem philosopho nihil aliud esse nisi quasi instrumentum, quo traduntur sensus, immo vero profitetur Seneca, si fieri posset se res potius

[1] Praeter locos p. 74 cit. cf. ep. 16, 2 <quae scribis unde veniant scio, non sunt colorata>, 20, 2 <non orationi vita dissentiat . maximum hoc est . . ut verbis opera concordent, ut ipse ubique par sibi idemque sit>, 24, 15 <. . an vere dixeris effectu proba hoc . . turpissimum est quod nobis obici solet, verba nos philosophiae non opera tractare>.

ostendere velle quam dicere (75, 2). Tota fere cura versatur in rerum magnitudine, honestate, magnificentia, impetu. Oratio putatur res pusilla aut umbra, quam philosophus sine ulla opera trahit. At demitur eloquentia non prorsus philosopho: permittitur, si aut parata est aut parvo constat, sed etiam tum adhibenda est ita, ut res non se ostendat. Ut oratio polita et sollicita ita abhorret arida et neglegens a duabus legibus, quibus destinatur forma huius orationis, quam Stoici quoque laudant et *κατασκευὴν* vocant, nam *κατασκευὴ* .. *ἐστι λέξις ἐκπεφευγυῖα τὸν ἰδιωτισμόν* Diog. Laert. 7, 59 (Diog. Bab.); accedit quod oratio neglegens magnitudine philosophiae indigna est. Tum pertinet ad eam eodem modo, quo ad politam regula: oratio cultus animi est. Contra respondet egregie duabus postulationibus quas modo commemoravimus orationis nativa simplicitas, quae medium tenens inter abicetam et exornatam orationem repraesentatur sermone familiari, nam sermonis oratio facile et certe recipitur paulatim intrans in animum maximeque apta est ad animum emendandum (ep. 38, 1 etc. cf. ep. 6, 5 <plus tamen tibi et viva vox et convictus quam oratio proderit>). Cum sermo sit illaboratus, simplex, securus liberque a sollicitudine putida ac neglegentia indecora, animi sensus aperit integre. Simplex autem oratio indicat animum esse neque affectatum neque pusillis inanibusve rebus deditum. Deinde habet consuetudinis oratio lucem, quam in Fabiani opere laudatam esse cognovimus. Quod attinet ad verborum delectum simpliciter dicenti eadam laus tribuenda est quae Fabiano, cum idem sumat verba de medio. Ne compositio quidem fusa, quae propter facilitatem et copiam laudibus effertur, aliena est a sermone. Plana et ad tenorem quietum ordinatumque formata est huiusmodi oratio. Porro cadunt apte in imaginem, quam depinximus hac de oratione, translationes intellegendi non ornandi causa commendatae. Id denique quod Seneca in universum praecipit, cum in ep. 5, 4 dicit <propositum nostrum est secundum naturam vivere> in oratione quoque confirmatum et a Dionys. Hal. de Isocr. 13 Quintilianoque (XII, 10, 40 cf. VIII, 3, 71) praedicatum vidimus. Senecam in regulis orationis statuendis praecipue Stoicorum vestigia pressisse vel per se manifestum est. Accedit quod

Stoicorum doctrina orationis inde ab aetate Dionysii Halic. usque ad Sexti Empirici tempora plurimum valuit.[1] Enumerat autem et explicat Diogenes Babylonius, Panaetii magister, nobis primus has quinque virtutes orationis: 1. Ἑλληνισμὸν, σαφήνειαν συντομίαν, πρέπον, κατασκευὴν (ap. Diog. Laert., Zeno 7, 59), quas excepta prima a Seneca probatas vidimus. Sed invenimus apud Senecam etiam illa tria postulata, quae orationis Stoicae doctrinae subesse recte ni fallor docuit Smiley l. l. p. 211: 1. οἱ Στωικοὶ τὸ εὖ λέγειν ἔλεγον τὸ ἀληθῆ λέγειν (Rhet. Gr. VII, 8, W.) 2. Putant Stoici officium oratoris docere, non simul movere et delectare (Quintil. l. V prooem). 3. Poscunt Stoici naturam sequi (ep. 5, 4). Tantum de Stoicis. Epicureos quoque quaedam contulisse ad Senecae artem orationis non miramur, cum Seneca Epicuri sententias inserat multas epistulis suis. Occurrit autem cum Epicuri orationis virtutibus, quas ex paucis fragmentis (cf. Norden l. l. p. 124) et antiquorum testimoniis de oratione eius prolatis (cf. Usener, Epicurea p. 88 sq.) eruere licet, consensus hic: Contempsit Epicurus quoque dialecticam artem (Cic. de fin. II, 6, 18 cf. II, 4, 12). Neglexit Platonis Aristotelis Theophrasti orationis ornamenta et curam verborum (Cic. de fin. I, 5, 14 sq. II, 9, 27, Tusc. V, 9, 26, Dion. Hal. de comp. 24, 188/189, Gellius N. A. II, 9, 4). Compositio eius mala improbatur a Theone (progymn. Sp. II, p. 71, 7).

Caput III.

De oratione corrupta eiusque causis quid Seneca censuerit, epistula 114 adumbratur.

Egimus adhuc de philosophi pronuntiatione atque oratione rhetorum declamatorumque arte saepe numero collata. In ep. 114, earum epistularum quae nobis in censum veniunt maxima, philosophi orationis fere non habetur ratio; qua de causa licet nobis, etiamsi compluribus locis opus erit redire ad

[1] cf. Smiley, qui l. l. accuratius hac de re disseruit.

epistulas tractatas, ut ad ep. 59, 6; 75, 2; 100, 5—7, epistulam ex numero epistularum nostrarum separatam tractare, praesertim cum epistulae dispositio nonnullas difficultates praebeat, quae non possunt dissolvi nisi singulis partibus epistulae accurate examinatis. Summi momenti sunt nobis ea, quae dicuntur de causis corruptae eloquentiae, quod problema in epp. 100, 115, 75, 59 leviter tactum nunc copiosius exponitur et ad finem perducitur. Non minus delectat atque expedit, quod legimus de imitatione demonstratum. Quod attinet ad orationis corruptae descriptionem haud scio an gravissima sint ea, quae de Maecenate[1] et Arruntio discimus. Cetera efferuntur similiter ab aliis eiusdem aetatis auctoribus. Cum plurimi fere loci, qui ex illius aetatis scriptoribus scl. Seneca rhetore, Persio, Quintiliano, Tacito, Plinio deprompti ad orationis corruptae genera pertinent, imprimis a Nordeno, viro doctissimo[2], congesti egregieque illustrati sint, nostrum erit magis epistulam ipsam interpretari per se et conferre cum Annaeana doctrina orationis adhuc statuta. Cum epistula completa sit comparationibus exemplisque saepe copiose demonstratis ac scriptor nonnullis locis ad hoc vel illud redeat et interdum praecipue in epistula extrema incidat in philosophandi consuetudinem oblitus se sibi proposuisse de rebus ad orationem spectantibus scribere, epistulae ordo artificiosus obscuratus est. Sine ullis ambagibus ducimur statim medias in res. Epistulae propositio, quae complectitur Lucilii interrogationem in epistula quadam pronuntiatam, tripertita est: circumscribitur propositum proprium <quare quibusdam temporibus provenerit corrupti generis oratio> in universum et nonnullis exemplis singularibus (§ 1). Tractatio ipsa duabus ex partibus constat:

[1] Interpretationem fragmentorum, quae multas magnasque praebent difficultates, hac ex dissertatione excludo, quia nimis abducit a proposito nostro. Nisi quid me impediet, proximo tempore accuratius de fragmentis inquisitione dignissimis disseram.

[2] l. l. p. 277—300 etc. quibus cum verbis cf. Wilamovitzii explicationem splendidam „Asianismus und Atticismus" Hermes 35 (1900), imprimis quae ostendit de notionibus <corrupta eloquentia> p. 1—3, 24, <numerus infractus> p. 3 adn. 2, <κακόζηλον> p. 28/29, et Norden, Nachträge, ad p. 131 sq.

I. (§ 2—12) Causa primaria: orationis vitia efficiuntur natura (*φύσει*);

1. (§ 2—3) argumentatio universa: civitas corrupta (cf. § 9) corrumpit animum, animus ingenium, ingenium orationem;

2. (§ 4—12) argumentatio specialis:

Exemplo est:

a) unus vir, Maecenas (§ 4—8):

A. (§ 4) describuntur et comparantur in universum vita (colis 2×4 sibi respondentibus <quomodo ambulaverit, quam ... noluerit> et <quam cultus, quam comitatus, quam domus, quam uxor>) et oratio;

B. (§ 5) stili Maecenatis exemplaria quattuor;

C. (§ 6—8) vitae orationisque collatio specialis. Primum enumerantur res quattuor (<hunc esse — hunc esse — hunc esse — hunc esse>) ad vitam spectantes et divisioni quadripertitae secundae (in § 4) prorsus respondentes, deinde 2×3 vitia, verborum citatorum propria, (<haec verba tam improbe structa, tam ..., tam ...> et <hoc istae ambages compositionis, hoc ..., hoc ...>). Iniecta est in duas tripartitiones digressio ut ita dicam de mansuetudine scripta, aeque tripertita ni fallor (<pepercit ... abstinuit .., ostendit>);

b) hominum genera (§ 9—12).

Illustratur particulis a) et b) sententia <quemadmodum uniuscuiusque (a) actio dicendis similis est sic genus dicendi (b) imitatur publicos mores> (§ 2). Luxuriae publicae gradus nominantur quattuor (§ 9), vitiosae orationis genera 2×3 ad verborum delectum et compositionem pertinentia (<modo ... modo ... modo, sunt qui — sunt qui — sunt qui>); attamen sextum exemplum speciei causa additum est, neque enim quadrat sensus prorsus ad duo praecedentia, est potius quasi gradatio in verbis in universum elatis <sunt qui non usque ad vitium accedant, sed ipsa vitia ament>. Apte adiungitur ad haec expositio, quae est de viris vere ingeniosis (§ 11—12).

II. (§ 13—20) Causa altera: Orationis vitia oriuntur imitatione (*μιμήσει, ζήλῳ*):

1. Consuetudo civitatis orationem versat, id quod confirmatur exemplis triplici modo:

a) (§ 13—14) afferuntur exempla tria ad delectum verborum spectantia

b) (§ 14—16) afferuntur exempla quattuor compositionis

c) § 16 (non tantum — fin.), afferuntur exempla quattuor ad sententias pertinentia. De divisione bipertita, quae haud dubie latet in secunda parte epistulae cf. p. 124.

2. Imitatio prava quomodo fiat (§ 17—20) illustratur Arruntii exemplo (§ 17—19), quod respondet Maecenatis. Orationis exemplaria afferuntur septem: bis terna, semel unum. Num hac in parte numerus <3> fortuito inveniatur cf. etiam <amputatae sententiae et verba ante exspectatum cadentia et obscura brevitas> non diiudicem. Concluditur pars altera comparatione orationis vitiorum, quae efficit imitatio, quae luxuria (§ 20 — adfectus). Hoc modo redit oratio ad causam primariam et finitur epistula adhortatione copiosiore.

Propositum epistulae saepius tractatum esse Senecae aetate omnesque litteratos movisse satis constat cf. Kaibel, Hermes 39 (1889), p. 127. Spectat autem Seneca non solum ad aetatis suae genera orationis, nam legitur <quare quibusdam temporibus corrupti generis oratio (pro <orationis corruptum genus>)>. Vox <*corruptus*> διεφθαρμένος διεφθορὼς κακόζηλος (κακοζηλία = mala affectatio Quintil. VIII, 6, 76; 3, 56—58) (Diomedes G. L. I, 451 K.; Hermog. II, p. 256 sq. Sp.; Demetr. Sp. III, 302 sq.; de subl. 3, 4; S. rh. suas. 7, 11; contr. IX, 1, 15; 2, 28; Suet. Aug. c. 86 etc.) definitur verbis <in quaedam vitia inclinatio ingeniorum>, <*ingeniorum*> cum oratio ingenii non animi sit cf. Quintil. II, 8, 6 <ingenio corruptus ac tumidus>. In ep. 100 115, 75, 59 non usus est Seneca voce <corruptus> ipsa, immo adhibuit eodem sensu <vitium> (100, 8), significans orationem humilem et parum erectam cf. Quintil. XII, 10, 73; II, 5, 10 <vitiosum et corruptum dicendi genus>. In vitiis numeranda est porro oratio nimis exornata et abiecta (75, 2), verba contra naturam posita et inversa (100, 5), translationes temerariae (59, 6), coacti in sententiam sensus, inanes angustiae (100, 5). Aliter iudicandum est de multis illis locis, quibus sermo est de oratione nimis sollicita, in qua omnia structa recisa polita sunt. Improbatur quidem a Seneca, cum abhorreat a philosophi pro-

posito, neque tamen numeratur in oratione corrupta. Quintilianus, qui adhibet <corruptus> persaepe, eam denotat orationem, quae a pulchritudine perfecta, cuius regulas ipse praecipit delapsa est ad formam minus pulchram (VIII, 3, 58; IX, 4, 17; X, 1, 125; **XII, 10, 73**; II, 5, 10; V, 5, 2; VIII, 3, 18; 5, 14, X, 1, 129); ii qui corrumpunt <sanam> (passim apud Ciceronem) eloquentiam, vocantur inversa imagine corrupti (II, 3, 9; VIII, prooem. 17; 25; 3, 7; 5, 25; X, 2, 14; 16).[1] Seneca pater utitur voce <corruptum> saepe (cf. Norden, p. 267 adn. 1 et Hoffa l. l.) simul cum <furiosum insanum puerile aliis> et respicit ubique ad oratores Asianos.

Enumerantur autem orationis vitia quinque ad diversas partes artis rhetoricae spectantia, quorum ad quartum et quintum, quodammodo etiam ad secundum oratio in sequentibus redit; in antecedentibus secundum, quartum, quintum iam perstrictum est: 1. inflata explicatio, 2. infracta et in morem cantici ducta (scl. explicatio), 3. sensus audaces et fidem egressi, 4. abruptae sententiae et suspiciosae, in quibus plus intellegendum est quam audiendum, 5. translationes inverecundae. Aperte opponuntur 1 et 2, 3 et 4. Cum 1 et 2 ad explicationem referantur, etiam 3 et 4 eandem ad rem scl. mente concepta spectare concludere licet. Sed praebet sensus primi, secundi, tertii loci complures difficultates, quae certe dissolvi non possunt. Incipiamus a loco quinto, cuius sensus statim perspicitur: Per se metaphoras a Seneca non repudiari elucet vel ex verbis <*translationis iure*>, confirmatur autem ep. 59, 6 sq. pluribus verbis et Senecae oratione ipsa cf. p. 17 sq. Contra vitiosus dicitur, qui utitur translationis iure <*inverecunde*> i. e. immodice et impudenter (cf. Tac. dial. 26, 18 de Cassio Severo <omissa modestia ac pudore verborum>) — adverbium <iuverecunde> quod pertinet ad metaphorarum quantitatem et qualitatem, videtur primum adhibitum esse a Seneca —. Reprehenduntur translationes temerariae (ep. 59, 6) vel audaces (ep. 114, 10) (cf. Quintil. VIII, 6, 16/17 qui dicit <durae> i. e. a longinqua

[1] Fabianum videri desumpsisse terminum corrupti e Ciceronis Bruto (202) (Reuter l. l. p. 3, cf. p. 1/2; Norden p. 298/99; Volkmann[2] p. 406) mihi non probabile est respicienti auct. ad Her. IV, 10, 15.

similitudine ductae) non minus quam frequentes (ep. 114, 10) aeque a Quintil. VIII, 3, 38—39: <Romani pudoris more contentus . . . verecundiam silentio vindicabo (scl. in translationum usu)> et VIII, 6, 14 ubi etiam confirmatur, quare reiciat nimis multas metaphoras <frequens (usus) et obscurat et taedio complet, continuus vero in aenigmata et allegoriam exit>. Similiter auct. de subl. qui (XXXII, 7) Platonis ἀκράτους (immodicas) καὶ ἀπηνεῖς (duras) μεταφορὰς καὶ ἀλληγορικὸν στόμφον (tumorem) improbat, postquam praemisit verba <ὅτι ἡ χρῆσις τῶν τρόπων ὥςπερ τἄλλα πάντα καλὰ ἐν λόγοις προαγωγὸν ἀεὶ πρὸς τὸ ἄμετρον δῆλον ἤδη κἂν ἐγὼ μὴ λέγω> et ibid. 4 iudicat τὰ εὔκαιρα καὶ σφοδρὰ πάθη καὶ τὸ γενναῖον ὕψος remedia πλήθους (frequentes!) καὶ τόλμης (temerarias) μεταφορῶν cf. etiam XXIII, 4. — Verba <*quare aliqua aetas fuerit*> videntur indicare vitium translationum non viguisse Senecae aetate, sed discimus ex § 10 <id quod nuper increbruit> aliisque locis cultas esse metaphoras ipsis temporibus Senecae veluti cf. Quintil. VIII, pr. 24 <nihil iam proprium placet, dum parum creditur disertum, quod et alius dixisset . . . a corruptissimo quoque poetarum figuras seu translationes mutuamur>, X, 1, 118 ubi Julius Africanus <in translationibus parum modicus> dicitur. Ipsa exemplaria praebent Pers. I, 72 sq., S. rh. contr. l. X, pr. 9, suas. 4, 5, Plin. ep. IX, 26, quibus ex locis produco Musae rhetoris nonnullas metaphoras a S. rh. (contr. X, pr. 9) tumidas et portentosas vocatas: dixit de siphonibus „caelo repluunt", de sparsionibus „odoratos imbres", in cultum viridarium „caelatas silvas" in picturam „nemora surgentia". — Quid quarto loco expositum esset p. 90 sq. in transitu perstrinximus. Castigatur vitium, quod efficitur dicendi genere nimis brevi, abrupto, ancipiti cf. § 11 <sunt qui sensus praecidant et ex hoc gratiam sperent, si sententia pependerit et audienti suspicionem sui fecerit>, 100, 5 <habes sensus non in sententiam coactos . . . nullas videbis inanes angustias>. Sallustius utebatur amputatis sententiis, verbis ante exspectatum cadentibus, obscura[1] brevitate (§ 17) cf. Quintil. IV, 2, 45 <vitanda est illa Sallustiana brevitas et abruptum dicendi genus>. Augetur Sallustii brevitas ab

[1] cf. ἄμυδρος Dion. Hal. de comp. 20, 144; ἄσημος ibid. 25, 200; 205.

Arruntio, qui numerandus est in illis a Quintil. X, 2, 17 allatis <qui praecisis conclusionibus obscuri Sallustium atque Thucydidem superant> cf. 14, 15, 16, 18. Quintilianus describit abruptorum vitium etiam accuratius quam Seneca, VIII, 3, 82 et VIII, 2, 19 <brevitatem aemulati necessaria quoque orationi subtrahunt (cf. Hor. a. p. 25 sq. brevis esse laboro Obscurus fio) et velut satis sit scire ipsos quid dicere velint, quantum ad alios pertineat nihili putant . at ego vitiosum sermonem dixerim quem auditor suo ingenio intellegit . . . id iam demum eleganter atque exquisite putent, quod interpretandum sit cf. VIII, pr. 24 <tum demum ingeniosi scilicet, si ad intellegendos nos opus sit ingenio> et Plin. ep. I, 20. Eodem modo seiungit auct. de subl. XLII, 1 *τὰ δεόντως συνεστραμμένα* et *ἄγαν τῆς φράσεως συγκοπὴν, ὅταν εἰς λίαν συνάγηται βραχύ* et addit *συγκοπὴ κολούει τὸν νοῦν, συντομία ἐπ' εὐθύ.* — Suspiciosis sententiis (Pointen) opponuntur *sensus* (Gedanken) *audaces.* Ni fallor, sibi respondent attributa <fidem egressi> et <suspiciosae>, <audaces> et <abruptae>, in his enim inest causa illorum. Sine dubio cogitat Seneca quarto loco de immodico usu hyperbolarum, quibus praecipue in cacozeliam iri Quintil. VIII, 6, 73—76 testatur. Restant duo <explicationis> vitia, quae Asianorum orationis propria esse satis constat: Cum vox <explicatio>, quae non est inter artis rhetoricae voces raroque usurpatur, habeat vim tam universam (= Darlegungsweise S. rh. contr. l. II, pr. 1) ut possit pertinere et ad elocutionem et ad pronuntiationem, opus est attributa accuratius inspicere. Rettulimus (p. 14) autem cum Nordeno (p. 294/95), Haakhio, Forbigero verba <in morem cantici ducta> ad pronuntiationem: Agitur enim de pronuntiandi mollitudine et imbecillitate, quae translatione non rara (Cic. or. 57, Plin. ep. 2, 14, 13, Quintil. I, 8, 2; 11, 3, 13; 11, 3, 167 cf. Tac. dial. 26, 9 <actores histrionales modos exprimant> et vocis <*ϑεατρικὸς*> usum Dionysianum [Geigenmueller, p. 78]) comparatur cum *canticis* i. e. iis fabularum partibus, in quibus dum tibicen canit cantor cantavit, cum actor gestibus verborum sensum exprimeret (Peterson, ad Tac. dial. 26, 9, Cic. or. 184, de or. 1, 254, Tusc. 1, 107, Hor. a. p. 215). Eadem imagine utitur auct. de subl. XLI, 2 cum com-

parat τὰ κατερρυθμισμένα τῶν λεγομένων atque τὰ ᾠδάρια. Pervaserat vitium cantandi histrionalique modo dicendi, quod iam a Cicerone (or. 8, 27) in Asianis vituperatur et cum lyrica poesi scl. dithyrambo coniungendum esse recte ostenderunt Immisch (mus. rhen. 48, 524sq.) et Rohde (D. griech. Roman 1876, p. 312), illa aetate oratores poetas declamatores cf. Tac. dial. 26, 4sq., Pers. I, 88, 89, Quintil. XI, 1, 56; 3, 59, 57 <quo vitio nunc maxime laboratur in causis omnibus et scholis cantandi, quod inutilius sit an foedius nescio, quid enim minus oratori convenit quam modulatio scaenica et nonnumquam ebriorum aut comisantium licentiae similis?>, Plin. ep. II, 14, 12 <pudet referre quae quam fracta pronuntiatione dicantur ... sola cymbala et tympana illis canticis desunt>. In scholis exercebatur huiusmodi oratio. Vocem exercere phonascorum erat opera, dicebatur πλάττειν (πλάσις). Itaque monet Quintil. I, 8, 2: <sit autem imprimis lectio virilis non in canticum dissoluta nec plasmate ... effeminata, de quo genere optime C. Caesarem praetextatum adhuc accepimus dixisse: si cantas male cantas, si legis cantas>. Quod Quintilianus voce <effeminata>, id fere exprimit Seneca attributo *<infracta>*, = kraftlos, matt oppos. <inflatus>. Multo saepius legitur pro verbo composito simplex <fractus> et significatur is, qui affectat mollitiem dulcedinemque: potissimum usurpatur verbum de voce (Quintil. I, 11, 1, Plin. ep. 2, 14, 13), compositione (S. rh. suas. 2, 23), incessu (Petron. 117, 25). In terminologia Graeca respondet διακλώμενος vel κατακεκλασμένος plerumque de numeris muliebribus (cf. Tac. dial. 18, 26) ignobilibusque ut amphibrache (Dion. Hal. de comp. 17, 107) et pyrrichio, trochaeo (= tribrache Blaß, l. l. p. 29), dichoreo (auct. de subl. XLI, 1) dictum. Cum affert Seneca explicationem inflatam, castigat Asianos qui grandes et sublimes (ὑψηλοί) esse studebant, sed in tumorem (Cic. Brut. c. 13, Quintil. XII, 10, 16, X, 2, 16, XII, 10, 80, Plin. ep. IX, 26, 5, Hor. a. p. 27, Pers. I, 14) et ventosam enormemque loquacitatem (Petron. sat. c. 2) incidebant. Synonyma vocis *<inflatus>* = ὀγκώδης, cuius vocabuli vim ac synonyma Geigenmueller p. 108sq. copiose tractavit, sunt spumosus (Pers. I, 96), turgidus (Petron. II, 6), praecipue

tumidus (S. rh. suas. 1, 12; 16, Quintil. II, 3, 9, VIII, 3, 56, XII, 10, 16; 73 cf. etiam S. rh. contr. l. IX, 2, 27, X, 1, 14) ubi exempla proferuntur; auct. de subl. (3, 1) eodem modo iudicat *τὸ παρὰ μέλος οἰδεῖν ἀσύγγνωστον*. Ceterum non facio cum Schulthessio, qui credo ut symmetria membrorum efficiatur conicit <*explicataque*>, nam abhorret vox a structura propositionis epistulae: habemus sententiam primariam particula <quare> incohatam et quinque exemplis explicatam, quae enumerantur tribus in sententiis. Quarum prima et altera constant binis ex membris (aliquando-aliquando, alias-alias), quae primo obtutu sibi respondere videntur, sed incohatur prima verbis <quomodo facta sit ut>, secunda et tertia verbo <quare> ut sententia primaria. Quod attinet ad bina membra primae secundaeque sententiae habemus quidem in secunda bina attributa, quorum alterum fortasse pendet ex primo, verum membro secundo adiuncta est sententia relativa. Primae sententiae membra similiter structa sunt, at efficitur differentia ea re, quod in primo unum attributum, in altero duo posita sunt. Est autem vox <explicata> vel per se offensioni: non quadrat ad <inflata>, non respondet verbis <in morem cantici ducta>, rarissime usurpatur explicatus = effusus. Denique disturbaretur conexus, qui esset inter <explicata> et <oratio> substantivo <inclinatio>.

§ 2—3. Argumentum primum et summum, quo utitur Seneca in causis corruptae eloquentiae demonstrandis, acute explicatur: Eodem modo quo singulorum hominum oratio cum vita congruit et actio uniuscuiusque similis est dicendis [dicendis pro <dicendi> B et dicenti ς cum Madvigo (adv. crit. II, 510) scribendum est], orationis corruptum genus positum est in re publica corrupta, quae turbato ordine et disciplina incidit in mollitiem luxum elegantiam omnis generis. Ubi primum enim animus de via naturali decessit et diligentior fieri coepit primum corporum cura,[1] deinde supellectilis,[2] deinde domorum,

[1] In librorum scriptura <*luxus*> offendit primus Muretus, quia male quadret ad <diligentior> et mutavit <cultus>, coniectura splendida, potuit enim propter similitudinem vocum <luxus> et <*cultus*> et antecedentem luxuriam mendum a librario neglegenti facillime inferri.

[2] <*supellectili laboratur*> i. e. cura ac labor impenditur in s. Num praeter Senecam alius sic locutus sit, dubitat recte Opitz (l. l. p. 10); certum

deinde cenarum[1] (cf. his de rebus Tacit. ann. III, 3, 53sq.) inficitur etiam ingenium <*siccum et sobrium*> (i. e. sanum cf. quae de <siccus> p. 86 exposui), quod totum animo permixtum prorsus pendet ex animo et artiore vinculo coniunctum est cum animo quam animus cum corpore. Qua de causa monet Seneca in epistula extrema (§ 22—27) permultis verbis, ut arceatur animus a contagione mala, ne corrumpatur ingenium, quo formatur oratio. Cognoscimus sibi fingere Senecam proximum conexum orationis morumque publicorum. Orationem cum animo artissime cohaerere explicatum vidimus in ep. 59, 5; 100, 4; 115, 2 sententia <oratio cultus animi est>, quae similiter ab auctore de subl. IX, 2/3 pronuntiatur illis verbis, quae sunt quasi operis medulla <*ὕψος μεγαλοφροσύνης ἀπήχημα*>. Veluti indicat oratio sollicita et compta animum esse non fortem constantem audacem solidum, sed rebus pusillis occupatum, non sincerum sed fractum, tumidum autem animum habet, quicunque dulcedine verborum a rebus abducitur. Hoc loco conexus orationis et animi quasi amplificatur et argumento psychologico ut itadicam probatur. Sententia <*talis hominibus fuit oratio, qualis vita*>, quam illa aetate vulgo auditam et iam apud Graecos (cf. Plat. Rep. III, 100 D *ὁ τρόπος τῆς λέξεως καὶ ὁ λόγος τῷ τῆς ψυχῆς ἤθει ἕπεται,* Anaxim. rh. 36 Sp. p. 228 *οἱ λόγοι τῶν ἠθῶν καὶ τῶν τρόπων εἰσὶν οἷον εἰκόνες,* Aristid. or. 45 vol. II p. 133 Dind. *ἡ παροιμία ἡ λέγουσα, οἷος ὁ τρόπος τοιοῦτος εἶναι καὶ τὸν λόγον* cf. etiam exempla, quae affert Otto l. l. s. v. oratio) fuisse proverbium Seneca (cf. Quintil. XI, 1, 30 <nec sine causa Graeci prodiderunt, ut vivat quemque etiam scribere) plane fatetur, videtur redire ad Solonis dictum <*τὸν λόγον εἴδωλον εἶναι τῶν ἔργων*> (Diog. Laert. I,

est hanc dicendi licentiam, qua noster compluribus verbis ut aequiescere, occupatum essa e. a. dativum adiunxit pro <in> cum ablativo vel alia praepositione poetarum potius quam prosae orationis auctorum propriam esse.

[1] Ad <*includere*> cf. Mart. XIII, 14 et Plutarch. conviv. quaest. VIII c. 9. In sententia <*deinde — dentur*>, quae est de xeniis et apophoretis, habemus duo contraria, quibus describitur <nunc> et <olim>. sed expressum est contrarium altera sola in sententia tempore recto, in priore contra legimus <solent> et <ponantur>, quam ob rem Hermes (progr. Meursiae [1889] p. 11) proposuit <solebant>, quam coniecturam cum scriptum sit in A <selent> commemoratione dignam puto.

58 Cob., idem apud Cic. Tusc. 5, 16, 47, sed cf. Hirzel, l. l. II, 25 adn. 2, 1895). Recte animadvertit Mewis (l. e. p. 62) intellegi posse ex sententia citata a Seneca probata, quanti scriptor aestimaverit orationem. Gerckei autem viri docti opinio, qua censuit (l. l. p. 135) non serium putari posse Senecae studium, quod esset conspicuum in indagandis corruptae eloquentiae causis, utpote in re leviore, collabitur ni fallor vel epistulae primis verbis inspectis, cf. etiam Misch, l. l. p. 247. Quod attinet ad causas ab aliis eiusdam aetatis scriptoribus scl. auctore de subl. c. V et XLIV, S. rh. contr. pr. I, 6, 7. Petronio c. 88, Tacito dial. c. 36 non possum tractare hoc loco nec cum argumentatione Senecae conferre, quia singulari dissertatione opus esset ad quaestionem accurate explicandam, relego potius ad ea quae adhuc docuerunt Norden, I, 245 sq., Hirzel II p. 50, Rolland p. 10, Reuter p. 56—63, Gudeman p. 277, Kaibel (Hermes XXXIV) p. 122. Hoc tantum moneo Senecam mihi eodem modo, quo ceteri auctores iisdem de rebus disserentes redire videri ad auctorem, sine dubio philosophum, quem hausisse ex Platone (leg. VIII init. p. 831 b) Kaibel ostendit.

§ 4—8. Ad illustrandam argumentationem utitur Seneca primum Maecenatis exemplo, quod apte electum esse etiam ex ea re cognoscitur, quod Augustus (Suet. Aug. 86) et Tacitus (dial. 26, 4) Maecenatem in cacocelis numerant et Quintilianus (IX, 4, 28) compositionem vitiosam exemplis Maecenatianis explicat cf. porro Macrob. sat. II, 4, 12. Describuntur comparanturque vita atque oratio. Primo aspectu videtur deesse ordo, nam disserit scriptor modo de vita, modo depingit orationem, modo comparat, inter ea inserit Maecenatis elocutionis exemplaria. At acrius indaganti apparet in tribus particulis, quarum prima et tertia sibi respondent et se supplent, observatam esse partitionem quadripertitam (4×4) et tripertitam (3×3). Aperte fatetur Seneca Maecenatis vitam ac mores esse etiam in omnium memoria, nimirum facere non potest, quin nihilominus demonstrandi causa tangat vitae rationem viri notissimi atque enarret quattuor fabellas, quae eius naturae consentaneae et insignes sunt. Fuit in Maecenatem animo parum amico et carpsit eum saepius vehementer cum propter vitam mollem tum ob stili

licentiam. Non negat Maecenatem habuisse ingenium virile grandeque et fuisse aptum, qui daret Romanae eloquentiae magnum exemplum; laudat eius dictum <Non tumulum curo. sepelit natura relictos>, quod <alte cinctum> dixisse credas; at enervatam castratam discinctam esse secundis rebus indolem ac motum ei caput nimia felicitate (ep. 114, 4, 8; 19, 9; 92, 35; de prov. 3, 9). Ipsam laudem, quae ei tributa esset propter mansuetudinem (cf. eleg. in Maecen. v. 15, p. 126 Baehrens), eum mollitudine sua corrupisse ita ut mollis, non mitis fuerit. Acerbis verbis vellicatur Maecenatis mendicatio foeda vitae votumque turpissimum, quo non recusat debilitatem, deformitatem, acutam crucem, dummodo inter haec mala spiritus prorogetur (ep. 101, 10). Consulto affectabat Maecenas mores pravos, novos, singulares. Insignitus erat eius cultus, comitatus, domus, uxor, velut ambulavit semper solutis tunicis more effeminatorum, etiam tum cum Caesaris absentis partibus fungeretur militibus signum petentibus discinctus obviam iit; in publico velabatur caput pallio exclusis utrimque auribus aeque atque in mimo fugitivi divites;[1] bellis

[1] <*non aliter quam in mimo fugitivi divites solent*> ita libri. Utitur Seneca haud dubie exemplari vulgari cum comparat Maecenatem velatum cum mimorum fugitivis (i. e. Ausreißer, Diebe), qui postquam aliquam arcam (cf. Doerpfeld-Reisch, d. gr. Theat. p. 316) diripuerunt vel pecuniae summa potiti sunt, pallio se velabant, ne rapta et ipsi quoque cognoscerentur. <Divites> est adiectivum poniturque pro <qui divites facti sunt> cf. Ribbeck (Com. Rom. frg.[3] pg. 396) <persona de mimo modo egens repente dives>, Apuleium met. VII, 9 <sumeret abiecto centunculo divite>, Tibull. I, 10, 7; 9, 31 dives = divitias continens. Non debet verti „flüchtige Reiche". Similitudo comparationis nulla in alia re est nisi in velando, id quod in comoedia et mimo, si agnosci noluerunt, saepe fecerunt personae (non solum servi et effeminati (Plaut. Curc. 288 etc.) cf. Plaut. Poen. 744. Locus permultum tentatus est, primum a Lipsio qui in epist. quaest. III, 23 eicit <divites> suspicatus vocem inectam esse a librario, qui pro <in mimo> legebat <in nummo>, contra proposuit in commentario <divitis> (hoc Buecheler, Ribbeck l. l. p. 401, Forbiger) vel <divite> ut is fuerit titulus. Interpolationis opinionem non probo, quia si scriba mutasset sensus non deesset in verbis <in nummo fugitivi divites>; contra propositionem alteram affero verbum <solent>, quod mirum est etiamsi accipimus illa ipsa aetate mimum huius tituli saepe actum esse: nonne sufficeret <faciunt>? porro supplendum esset et subiectum aliquid et verbum. Non minus displicet Hauptii coniectura (Hermes VII, 182) <militis fugitivi>, rectus est

civilibus strepentibus ac sollicita urbe duobus spadonibus usus est comitibus; cum Terentia, uxore morosa, ei erant assidua divortia iurgia iterumque coniugia (cf. de provid. 3, 9), quam ob rem dicere licuit <uxorem milliens duxit, cum unam habuerit>. Habet autem Seneca in Maecenatis <*deliciis*> (ep. 120, 19) depingendis assentientes Velleium (II, 88, 2), Iuvenal. (I, 67; XII, 39), Plinium (n. h. 8, 170), Tacit. (ann. I, 54). Aliter elegiarum in Maecenatem prioris auctor, quem carminis sui materiam ex ep. 114 sumpsisse censuit Haupt (op. I, p. 349), negavit Baehrens (poet. lat. min. I, p. 123), ni fallor iure, cum desideretur causa iusta. Cum Maecenatis vita plene consentit elocutio eius, in qua L. Coelium Antipatrum secutus est (cf. Marx, auct. ad Her. p. 137); congruit etiam cum oratione Arelli Fusci, rhetoris Asiani, quo Maecenas familiariter usus est, quibusdam in rebus, non prorsus (cf. S. rh. contr. II pr., suas. 2, 10, 23 et Norden, p. 267). Iudicatur autem orationis vitaeque conexus a scriptore nonnullis locis vel ea re, quod utitur voce et ad hanc et ad illam apta; velut dicit in descriptione generali, quae praecedit exemplaribus, orationem Maecenatis solutam (*λελυμένην* cf. auct. ad Her. IV, 11, 16), portentosissimam (*σημειώδης* Dion. Hal. de Isocr. c. 2), verba insignita, eloqentiam licentiae plenam errantem, involutam (cf. si non vitasset intellegi), similem viri ebrii. quin etiam ebrietatem (§ 22) vel sermonem ebrium (ep. 19, 9), cf. ep. 83 de ebrietate et *μεθύειν* in sermone Graeco (Ernesti). Carmen in ep. 101, 10 citatum vocat effeminatum, denique <etiam in oratione diffluebat>. Exemplis allatis persequitur Seneca orationis singula: delectum verborum, compositionem, sensus. Vituperantur <verba neglegenter abiecta> <contra consuetudinem omnium posita> <transversa> <improbe structa>

ea quidem in re quod dicit memorari rem non in aliquo mimo factam, sed in mimis omnino saepius, at cum dicit milites fugientes saepius inductos esse velatos vix probari potest. Ut coniecturam optimam commendo, si modo interpretatio nostra non conveniat alicui, Kochii propositionem a Roßbach (Bresl. ph. Abh. II, 159, 40) laudatam <n. a. q. i. m. induti esse fugitivi solent> verborum tamen ordine immutato, quia sensum praebet aptum et ad codices artissime accedit: fugitivi d v i t e s vel diutes (A) facile ex <fugitivi induti esse> oritur, praesertim cum <ivi> praecedat et <so — lent> sequatur.

cf. Plin. ep. IX, 26, 5, deinde <ambages compositionis> i. e. obliqua incerta obscura compositio, cui propriae sunt <transgressiones (= ὑπέρβατα) quaedam ... quae in hoc ipsum petuntur, ut exsultent atque lasciviant> cf. Sen. Oed. 214 et Quintil. IX, 4, 28, tum <sensus initio[1] magni quidem saepe, sed enervati dum exeunt>. Sed ferimus moleste, quod scriptor ex exemplis, quae ipse implicata et errantia esse confitetur, non quaedam elegit et quid animum suum percusserit diserte docet. Percurrenti mihi descriptionem Maecenatis occurrunt animo Senecae rhetoris verba de adulescentibus aetatis suae elata, quae non solum propter res tractatas, sed etiam verba electa apte conferantur (contr. l. I, pr. 8): <cantandi saltandique obscena studia effeminatos tenent, capillum frangere et ad muliebros blanditias extenuare vocem, mollitia corporis certare cum feminis et immundissimis se excolere munditiis nostrum adulescentium est Quis . . . satis vir est? emolliti enervesque quod nati sunt manent ... 10 in istis ... expolitis et nusquam nisi in libidine viris quaerite oratores>.

§ 9—11. Quoniam Seneca Maecenatis exemplo ostendit, quomodo unius viri vita et oratio cohaererent (cf. § 9 quod vitium hominis esse interdum), demonstrat sequens dispositionem in § 2 indicatam tota genera hominum in dicendo imitari morum publicorum luxuriam, cuius quattuor gradus distinguuntur (§ 9 quod vitium interdum temporis solet). Quod attinet ad verborum delectum apparet rerum usitatarum taedium novarumque studium statim in verbis antiquis et exsoletis (*ἀρχαίοις καὶ*

---

[1] In libris, qui exhibent <mihi> pro <initio>, mendum esse apertissimum est. Buecheleri, viri doctissimi, coniectura <miri>: <sensus miri magni quidem saepe sed enervati dum exeunt> quamvis arrideat primo aspectu non placet, quia deest aliquid contrarium, quod necessario ex <dum exeunt> exspectatur, discordant quoque quodammodo duo sensus <magni quidem saepe> et <enervati dum exeunt>. Tolluntur difficultates coniectura <initio> a viro docto Hermes (progr. Meurs, 1889, p. 10) proposita, qua insuper exoritur chiasmus egregius (de cuius usu apud Senecam cf. Steele, chiasm. in the epist. of Cicero Seneca Pliny Fronto in Studies in honour of Gildersleave p. 342—46) qualem invenimus ep. 100, 12 <sine commendatione partium singularum, in universum magnificus>, 114, 4 <cupierit videri latere noluerit>, 7 <pepercit gladio — sanguine abstinuit>, 8 <hominis interdum, interdum temporis>.

γλωττηματικοῖς) vel novis et ignotis vel audacter translatis supra modum adhibitis, in compositione autem brevitas et obscuritas captantur aut sensus detinentur. Denique fit, ut amentur etiam vitia ipsa. Luxuria publica et oratione corrupta ita collatis, quid ex hac vel illa cogi liceat scriptor illustrandi causa breviter explicat, ut iam supra in § 2 <argumentum . . . recepta> atque utitur etiam eodem fere sensu. — Tria verborum genera quae vocantur scl. propria ficta translata (cf. Quintil. VIII, 3, 24), eadem coniuncta sunt in ep. 108, 35 <non ut verba prisca aut ficta captemus et translationes improbas). Cum tertio membro addita sit sententia <id quod nuper increbruit> videntur primum et alterum genus illa aetate aut non viguisse aut iam diutius. Hoc accipiendum esse certe quod quidem ad antiquarios attinet, statim in § 13 <multi ... redeunt> cognoscemus. Contra videntur alterius generis studiosi intellegi a Dion. Hal. Dem. 48, 1104, quo loco <*φιλόκαινος*> dicitur cum *μελιχρὸς* coniunctum de polita compositione, quae recentioris aetatis scriptorum propria sit. — In verbis <*modo fingit et ignota ac deflectit*> offensioni est particula <et>, nam ex tribus membris <modo> inductis primum et alterum opposita sunt, qua de causa fieri non potest ut <et> habeat sensum <etiam>; addimus quod propter figuram repetitionis, quam Seneca in deliciis habet (cf. Rauschning l. l. p. 22—23), <etiam> supervacuum est. Sustulit difficultatem egregie Roßbach (Bresl. phil. Abhldg. II, p. 159, 39), cum suspicatur vocem <nova> post similem <modo> excidisse. Hoc modo duorum membrorum oppositio et responsio etiam in verbis apparet: habemus duo verba <ac> coniuncta et duo attributa substantivi <verba>. >*Deflectere*> eodem sensu usurpatur quo simplex verbum <flectere> = derivare (Quintil. VIII, 3, 36), non valet „umformen, umbilden", ut interpretantur Haakh et Forbiger . Novantur autem verba duplici modo (Cic. de or. III, 38, 154): aut a dicentibus ipsis gignuntur ac fiunt ut <senius disertus, di genitales, incurvescere>, aut coniungendis verbis ut <versutiloquus, expectorat>, cf. Cic. or. 21, 68 <faciendorum iungendorumque verborum licentia> et de or. III, 169. Vix permitti Romanis vocabula ex vocibus in usum receptis quocunque modo declinata (= *πεποιημένα*), ut <sullaturit et

proscripturit> queritur Quintil. (VIII, 6, 32). Seneca ipse moleste fert (ep. 58, 1) cum Lucretio (I, 139, 831, III, 260) et Plinio (ep. IV, 18) paupertatem egestatemque linguae Latinae, nec iuiuria, nam respicit praecipue ad artis voces. Ubicumque autem nova verba inducit, cautissimus est (cf. Hoppe p. 12 l. l.), veluti multa verba facit Ciceronemque ac Fabianum auctores iudicat, priusquam vocem <essentiam>, Sergii Flavii versionem Graecae <οὐσία> (cf. Volkmann p. 414/15 1885²), pronuntiat — miramur hanc in Ciceronis libris qui exstant non legi — et vocem <orbatio> illo tempore obsoletam una cum usitato <detractatio> adhibere non audet nisi se excusans verbis <vel ut antiqui dixerunt orbationem Graeci καταστέρησιν dicunt>. Plerumque addit in verbis novis <ut ita dicam>, velut 88, 28 (superficiarius), 86, 21 (grandiscapius), et in ep. 117, 13 circumscribit vario modo <enuntiativum>, cf. 117, 5 de <adexpetendus>: <coguntur nostri verba torquere et unam syllabam expetendo interponere quam sermo noster inseri non sinit . ego illam si pateris adiungam>. Consentit igitur cum Quintil. (VIII, 3, 37) <si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remediis praemuniendum est: utita dicam etc.>, Gr. ὡςπερεὶ, οἱονεὶ, εἰ δεῖ παρακινδυνευτικώτερον λέξαι (auct. de subl. XXXII, 3), cf. Quintil. VIII, 3, 33 <multa ex Graeco formata nova . . . quorum dura quaedam admodum videntur ut queens et essentia: quae cur tantopere asperemur nihil video, nisi quod iniqui iudices adversus nos sumus ideoque paupertate sermonis laboramus> et VIII, 6, 31 <tamquam consummata sint omnia, nihil generare audemus ipsi, cum multa cotidie ab antiquis ficta moriantur>, id. Horat. a. p. 52. Abhorret autem Seneca ne a Cicerone quidem, qui nova verba aut synonymis aut Graecis vocabulis appositis explicat (Causeret l. l. p. 19/20), nam leniunt novandi audaciam ἡ ἐπιτίμησις ὁμολογία παραμυθία (auct. de subl. XXXII, 3 et Ps. Dion. ars rhet. X, 10, 985). Verum iis locis, quibus Seneca praeterea a sermone Ciceronis discedit, facit cum omnibus fere scriptoribus aetatis suae. Ergo videtur iudicium Quintiliani (X, 1, 125—31), qui Senecae dicendi genus corruptum et omnibus vitiis fractum vocat, ad rem modo tractatam non valere, cf. Bernhardy R. L. p. 33, 1875⁵.

Ex duobus compositionis generibus, quae opponuntur, prioris in § 1 iam commemorati propria est praecisio (auct. ad Her. IV, 30, 41) vel abscisio (id. IV, 54, 67), qua quod inceptum est incohatum relinquitur et suspicio efficitur. Ut verba <*sensus praecidant*> respondent verbis <abruptae sententiae> § 1 cf. § 17, ita <*si sententia pependerit et audienti suspicionem sui fecerit*> verbis <suspiciosae . . . audiendum>. Plinius (ep. IX, 26, 2) comparat eos, quorum sententiae pendent cum funambulis cf. Quintil. IX, 4, 70 <quaedam etiam clausulae sunt claudae atque pendentes si relinquantur, sed sequentibus suscipi ac sustineri solent eoque facto vitium quod erat in fine continuatione emendatur>. Redit Seneca etiam ad eos, qui opposita ratione componendi usi sensus <*detineant et porrigant*> (*ἀποτείνουσι τὸν νοῦν* Dion. Hal. Dem. 5, 966), cf. § 16 <quid de illa loquar in qua . . .>. Haud scio an Quintil. (VIII, 2, 14) de iisdem cogitet, cum dicit <plus tamen est obscuritatis in contextu . . . quae ne sit tam longus, ut eum prosequi non possit intentio nec traiectione ultra modum finis eius differatur>.

§ 12. Orationis corruptae generibus adumbratis transit Seneca ad auctores: Peccat non solum <*corona sordidior*> (i. e. pullata plebs cf. Cic. de or. III, 32, 128 ubi oppositae sunt artes liberales et sordidiores ([*βάναυσαι τέχναι*]), sed etiam <*turba cultior*> i. e. nitida et splendens, ornata togis a fullone niveis. Etiam magis mirandum esse dicit scriptor non tantum vitiosa, verum ipsa vitia appeti et laudari, id quod Quintil. (X, 2, 14) quoque ostendit <sunt plurimi qui similitudinem pessimi cuiusque et corruptissimi concupierint>. Ut hic sensus in antecedentibus (§ 11) iam tactus est <sunt qui non usque ad vitium accedant, sed qui ipsum vitium ament> cf. ep. 112, 4 <homines vitia (vitam A.) sua et amant simul et oderunt>, ita qui sequitur sensus <nullum — ingenium> parenthesi <necesse est enim hoc facere aliquid grande temptanti> § 11 quodammodo iam perstrictus est: Concedit Seneca, ut ad vitiosum accedat, quicunque aliquid grande assequi studet. Causam rursus Quintilianus producit (X, 2, 16) <proxima virtutibus vitia> cf. auct. de subl. III, 1 <*ἐκ τοῦ φοβεροῦ κατ' ὀλίγον ὑποστονεῖ πρὸς τὸ εὐκαταφρόνητον*>. In viris tamen vere ingeniosis

defendit Seneca vitia <nullum sine venia placuit ingenium> (cf. Quintil. X, 2, 15), nam coniuncta sunt vitia cum virtutibus tam arte, ut si deleantur secum trahant virtutes. Apte conferantur his cum verbis quae iisdem de rebus exposuerunt auct. de subl. XXXIII, 2 <οἶδα μὲν ὡς αἱ ὑπερμεγέθεις φύσεις ἥκιστα καθαραὶ (cf. XXIII, 4) τὸ τὰς μὲν ταπεινὰς καὶ μέσας φύσεις διὰ τοῦ μηδαμῇ παρακινδυνεύειν μηδὲ ἐφίεσθαι τῶν ἄκρων ἀναμαρτήτους ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ ἀσφαλεστέρας διανέμειν τὰ δὲ μεγάλα ἐπισφαλῆ δι' αὐτὸ γενέσθαι τὸ μέγεθος> et Dionys. Hal. ep. ad Pomp. 2 p. 765 <ἀναγκαῖον τὸν ἐπιβαλλόμενον μεγάλοις καὶ σφάλλεσθαί ποτε. — De <ingeniosis> — sic enim possunt nominari illi recentes qui orationis vitia, non <aliquid grande> affectabant sive praediti erant ingenio sive non — collegit plurimos locos Norden p. 280, veluti Quintil. II, 5, 10 (cf. VIII, 3, 57): <impropria (cf. translationes immodicas), enorme, obscura (cf. suspiciosae sententiae...), tumida (cf. inflata explicatio), humilia (cf. ep. 100, 8), sordida (cf. ep. 114, 4), lasciva, effiminata (cf. 114, 4—8), propter hoc ipsum quod sunt prava laudantur> cf. VIII pr. 25; 2, 25; 5, 22; XII, 9, 8. Apte illustrat illorum studium Plinius dicto de oratore suae aetatis elato (ep. IX, 26, 1/2): „Nihil peccat nisi quod nihil peccat" et pergit <Debet orator... saepe accedere ad praeceps; nam plerumque altis excelsisque adiacent abrupta . . . ut quasdam artes ita eloquentiam nihil magis quam ancipitia (παράβολα καὶ ἀκροσφαλῆ auct. de subl. XXII, 4) commendant cf. 6 <omnis advertit, quod eminet et extat sed acri intentione diiudicandum est, immodicum sit an grande, altum an enorme>. Etiam apud S. rh. legimus compluribus locis appeti vitia et errores ab hominibus interdum scientibus: Ut philosophus Nasonem parum amanter attigit, quod ingenio suo indulgens et vitia sua amans delapsus sit ad pueriles ineptias (in diluvii Deucalionei descriptione N. Q. III, 27, 13), quod desinere nesciat e. a., ita perstringit pater (contr. l. II, 12) nimiam Ovidii licentiam in carminibus componendis <non ignoravit vitia sua, sed amavit> (cf. Quintil. X, 1, 88; 98) et dicit contr. IX, 6, 11 <tantus . . . error est, ut vitia quidam sua et intellegant et ament> et suas. 2, 23 <non dubito, quin nunc vos ipsa quae offensura sunt vitia delectent> cf. dial. X, 12, 8

quem locum cum antecedente cohaerere nego, aliter Preisendanz (p. 96), cui debeo nonnullos locos huc pertinentes. In contr. I, 5, 9 queritur Seneca etiam, nullum vitium sine amatore fuisse illis temporibus. Similia dixerunt Cicero (de nat. d. I, 28, 79), Tac. (dial. 3), (hist. I, 5), videmus igitur talia saepe legi apud rhetores scriptoresque, quam ob rem philosophum ex opere patris hausisse verba de iis dicta, qui laudant vitia, nequaquam arbitror. Aeque nego conexum esse inter verba de viris vere ingeniosis facta (cf. Preisendanz p. 99):

ep. 114, 12	contr. IX, 2, 19
nullum sine venia placuit ingenium quid illi aetas sua ignoverit, multos quibus vitia non nocuerint	Montanus illum locum tractavit pulcherrime, quam multa populus Romanus in suis imperatoribus tulerit: in Gurgite luxuriam, in Manilio impotentiam, cui non nocuit et filium et victorem occidere.

cum vel ex <illum locum> perspiciamus huiusmodi themata usitata fuisse in rhetorum scholis. Cf. denique contr. X, p. 10 <multa donanda ingeniis puto, sed donanda vitia non portenta sunt>.

§ 13—14. Verbis <*adice nunc quod*> aperte inducitur causa altera. Sententia <*oratio certam regulam non habet*>, quae iam in ep. 100, 6 pronuntiata et compositionis duobus exemplis illustrata est, nunc diligentius comprobatur duobus argumentis. Prius ex antecedentibus silentio enucleare debemus: regulae certae adversantur magnis ingeniis, quibus licentia quadam uti licet. Alterum argumentum, quod multo gravius est, expressis verbis effertur, nititur ut causa prima in civitatis orationisque conexu: oratio i. e. orationis singula genera pendent ex consuetudine civitatis, oratio obtemperat et accommodatur ad exemplum condicionis temporum, quae mutatur semper, atque ad normam iudicii qualibet aetate conspicui cf. Quintil. I, 6, 3 et 44/45, Gell. N. A. XII, 13, 15 et Smiley l. l. p. 268. Ita dicit Aper (Tac. dial. 19, 6/7) Cassio Severo tribuendum esse merito, quod non coegerit dicendi genus a via vetere discedere, sed ipse se tradiderit rerum quasi flumini, quoniam intellexerit cum condicione temporum secundum diversitatem aurium formam

quoque et speciem orationis mutandam esse. Similiter Tacitus annal. XIII, 3, 8 <ingenium (Senecae) temporis auribus (= iudicio) accomodatum>, dial. 34, 15 <habebant ipsius populi diversissimarum aurium copiam, ex qua facile deprehenderent, quid in quoque vel probaretur vel displiceret>, 20, 20. Ne Quintilianus quidem repugnat nimium illis <qui dandum putant nonnihil etiam temporibus et auribus> XII, 10, 45. Cum negat Seneca valere leges orationis, consentit quodammodo cum Hor. (a. p. 60 sq.), qui *ὀνομάτων* mutationem *φύσει*, non *νόμῳ* fieri dicit, nam <ut silvae foliis pronos mutantur in annos prima cadunt, ita verborum vetus interit aetas et iuvenum ritu florent modo nata vigentque>. cf. a. p. 70 sq. epist. II, 2, 119. Prorsus dissentit a sententiis prolatis Dion. Hal. de comp. XVIII, 119 *ὅρος γὰρ δὴ ἔστιν ἐκλογῆς τε ὀνομάτων καὶ κάλλους συνθέσεως ὁ Δημοσθένης*. Non confundi debere cum philosophi sententia patris verba (contr. IX, 6, 11) <eloquentia cuius regula incerta est> nec licere duobus ex locis primo tantum aspectu similibus construere quasi fundamentum commune doctrinae rhetoricae auctorum duorum paucissimis recte indicavit Bickel (B. ph. W. 1908, p. 1115) contra Rollandum l. l. p. 18 et Preisendanzium p. 70. Dicit enim philosophus de oratione in universum, pater de <eloquentia> i. e. arte ludicra declamatorum, quae modo hoc modo illud probat, dummodo verba facete efferantur; itaque se non praebet severissimum existimatorem, qui (contr. X, pr. 10) <omnia ad exactam regulam derigat>, sed concedit multa ingeniis, dum nec portentosa sint. Contra statuit postulata rigida, de quibus cf. Koerber, Über d. Rhet. u. d. Rhetorik sr. Zeit, Marb. 1864, p. 60 sq., iis in rebus, quae parent regulis. Tribus de exemplis, quae ex capite delectus verborum sumpta afferuntur — commemorantur ii, qui usurpant immodice verba antiqua et obsoleta, qui usitatis verbis usi in sordem incidunt, qui orationem poeticam et splendidam affectant — opposita sunt primum atque alterum, alterum et tertium, quomodo specie quidem efficiuntur quattuor exempla compositionis exemplis quattuor respondentia, praesertim cum alterum etiam bis nominetur. Quod attinet ad structuram trium membrorum discedit Seneca a consuetudine huius epistulae propria, qua adhibet anaphoram et responsionem in enumerandis

exemplis. Antiquarii vel <Ennianus populus>, ut dicit Seneca ap. Gell. XII, 2, iam in § 10 leviter perstricti alio tamen in contextu, nunc depinguntur paucis verbis acutis quidem et acerbis, quae vix in falsum aucta esse aliis locis similibus edocemur velut Quintil. VIII, 3, 25 <ex ultimis tenebris repetunt verba>, 2, 12 vide infra, Gell. I, 10 v. i. Non satis habent Gracchi Crassi Curionis sermonem imitari, descendunt usque ad <alienum> saeculum Appii et Coruncanii tabularumque duodecim. Scripsisse Senecam sententiam <Gracchus — redeunt> recordatum de Ciceronis Bruto (cf. Mewis l. l. p. 63), in quo C. Gracchus (33, 125/26) Crassus (43, 159; 38, 143), Curio (32, 122), Appius (16, 61), Coruncanius (14, 55) tractantur, mihi incredibile videtur, cum afferantur viri a Cicerone locis diversissimis et illa aetate antiquariorum nomina virorum antiquorum sine dubio tam clara fuerint, ut Seneca vix Ciceronem inspicere debuerit. Ut aliis epistulae locis, quibus describuntur ac vituperantur corrupti, ita hoc quoque loco reprehenduntur ii, qui ad nimium pervenerunt. Moderatum antiquorum verborum usum, quem Quintil VIII, 3, 24/25 commendat, quia sanctiorem et magis admirabilem faciat orationem cf. I, 8, 8, II, 5, 23, ne Seneca quidem improbet. Quintilianus autem explicat etiam — id quod in epistula nostra desideramus — cur reiciendi sint antiquarii caeci, duplici causa II, 5, 21 <pueris maxime cavendum est, ne quis eos antiquitatis nimis admirator in Gracchorum Catonisque aliorum similium lectione durescere velit, fient enim horridi atque ieiuni> et VIII, 2, 12 <obscuritas fit verbis iam ab usu remotis, ut si commentarios quis pontificum et vetustissima foedera et exoletos scrutatus auctores id ipsum petat ex his>. Ad illustrandam descriptionem Annaeanam antiquariorum inspiciendi sunt nobis complures loci insignes (de quibus cf. Bernhardy R. L. adn. 213; Cobet, or. de art. interpr. p. 38sq.; Volkmann, p. 412; Friedlaender, Sittengesch. III[6], p. 380sq.) qui leguntur impr. ap. Tacit. dial. 23 cf. c. 16/17; Quintil. X, 1, 93; Dion. Hal. rhet. X, 7/8; Gell. XI, 7. Scriptores enim ipsi, quorum ex elocutione nobis effingamus animo illud studium, non exstant, nam Gellius et Apuleius, quorum aetate imprimis invaluit vitium, in censum venire non possunt, quia postea fuerunt, et Tacitus priscorum

verba et enuntiata per occasionem tantummodo inserit. De primordiis horum studiorum legimus apud Horatium (epist. II, 1, 20—27). Augustus autem exagitabat antiquarios, quia sprevit (Suet. Aug. 86) fastidio reconditorum verborum <foetores> cf. Seneca ap. Gell. XII, c. 2 <licet scripti sint (versus Enniani) inter hircosos>. De oratoribus, qui antiqua et sordida consectabantur et orationis obscuritatem putabant severitatem, eleganter dixit Miltiades rhetor *ἐπὶ τὸ λεξικὸν μαίνονται* (S. rh. contr. IX, 2, 26, cf. IV, 25). Notissima sunt Claudii studia antiquaria. Vel feminas cepit ardor antiquos inepte imitandi, describitur a Iuven. (VI, 454) antiquaria studiosa. Imprimis poetas antiquos scl. Accium Pacuvium Ennium cultos esse in satirae primae initio (v. 1—78) Persius cum cavillatione ostendit, similiter Mart. XI, 90. Sed non solum ab oratoribus et poetis, etiam in sermone cotidiano voces nimis priscae et ignotae adhibitae sunt (Gell. I, 10) cf. Pers. I, 79/80. — Antiquariis opponuntur voce <contra> ii, qui in colendis verbis <*tritis et usitatis*> i. e. iis quae versantur in consuetudine cotidiana (auct. ad Her. IV, 12, 17) *τετριμμένα καὶ συνήθη* (Dion. Hal. de Thucyd. 23, 865) modum excedunt. Supra in § 10 oppositi erant novorum fictorumque verborum studiosi, quae oppositio quin aptior sit (cf. Gell. N. A. XI, 7) quis dubitet? Castigatur autem species altera ut corrupta ideo, quod non evitat verba sordida sed in eis ipsis sermonis proprietatem et naturam esse censet. Vidimus Fabianum quoque verba e sermone cotidiano sumpsisse, at evitavit vitium <*sordis*>, quae est in verbis ab infima plebe usurpatis, iacentibus, abiectis, ignobilibus (Tac. dial. 21, 17); sordis synonyma sunt illuvies (Fronto p. 158 N), squalor (Quintil. II, 5, 23), veternum (Tac. dial. 20), cf. praeterea p. 48 not. ad <sordidum>. Sordem antiquis quoque scriptoribus persaepe attribui, quorum oratio sit rudis et impolita (Quintil. II, 5, 23, cf. VIII, pr. 25; Tac. dial. 20), tetigimus. — Non deesse illa aetate dicendi genus, quod adversetur studiis modo commemoratis et alteram in partem immodicum sit, nemo miretur: Abstinet prorsus verbis <*necessariis*> et <*in usu positis*> cf. *τὰ ἐν ἔθει* (Dion. Hal. Dem. 56, 1124) et *ἐν κοινῇ χρήσει κείμενα* (id. Dem. 5, 966), quae non possunt omitti, atque appetit

nihil nisi verba splendida sonantia poetica. Opponitur etiam a Dionysio *τὸ κοινὸν* dicendi generi grandi nonnullis locis, ut Dem. 56, 1125 *τὴν κοινὴν καὶ συνήθη λέξιν ἐπιτηδεύει, σπανίως δέποτε τὴν περιττὴν . . . τὸ γὰρ μὴ τοῖς πολλοῖς ὁμοίως ἐκφέρειν τὰ νοήματα, ἀλλ' ἐπὶ τὸ σεμνότερον καὶ ποιητικώτερον ἐκβιβάζειν τὴν ὀνομασίαν,* id. de imit. 9, 34, de comp. 25, 196. Idem consentit cum Seneca in improbando poeticae dictionis abusu cf. de comp. 25, 196; Thucyd. 24, 869. Docet nos etiam in numero verborum poeticorum, *ποιητικῶν,* quo de verbo optime Geigenmüller (p. 101/102) contra Ernestium, esse verba <*γλωττηματικὰ ξένα τροπικὰ πεποιημένα*> de comp. 25, 195; 26, 214 e. a. l. Describitur a Seneca splendidorum cura nimia et sordidorum neglegentia secura imagine egregia: illi etiam crura vellunt more effeminatorum putidorumque, hi ne alas quidem (cf. Hor. epod. 12, 5; Catull, 65, 5) et ita hircos olent cf. <hircosi versus> Gell. XII, 2. Simillimus Senecae in altero et tertio genere opponendo et, quantum quidem attinet ad tertium, etiam in describendo est Quintil. VIII, 2, 2 <obscena vitabimus et sordida et humilia, sunt autem humilia infra dignitatem rerum aut ordinis. in quo vitio non mediocriter errare quidem solent, qui omnia quae sunt in usu, etiamsi causae necessitas postulat, reformident (sequuntur exempla)>. Ut aliis fere omnibus locis, quibus congruunt duo scriptores, ita hoc quoque Quintilianus, qua causa commotus improbet addit, cum Seneca acquiescat in re statuenda. Imprimis fugiebant declamatores, quaecunque ex usu cotidiano repetita erant (S. rh. contr. IV, pr. 8), velut traditur de Q. Haterio in ep. 40, 10 memorato: <dum nihil vult nisi culte nisi splendide dicere, saepe incidebat in ea, quae derisum effugere non possunt> (S. rh. contr. IV, pr. 9/10). <Splendor, nitor, cultus, altitudo, decor poeticus et exquisitus> erant res a splendidis appetitae (S. rh. suas 3; Quint. X, 1, 124; XI, 1, 48; Tac. dial. 20, 7; 21, 16; Plin. ep. I, 16, 2). Affectabantur poetarum praecipue duriores translationes et ea, quae vix poetis sunt permissa (Pers. I, 78; Quintil. VIII, pr. 24): <ea corruptissimo quoque poetarum figuras mutuamur seu translationes> alia cf. p. 48 infra, apud Norden l. l., Bernhardy adn. 214.

§ *15—16.* Quam vim habeat sententia <oratio certam regulam non habet> ad compositionem, discimus quattuor ex exemplis: vocatur corrupta *compositio aspera, mollis, dilata, in exitu lenta.* Tertio exemplo adiectus est auctor huius generis proprius. Opponuntur plane 1 et 2, 3 et 4, non solum sensu, sed etiam verbis (quidam — quorundam, quid — quid), attamen sensuum oppositio altera in parte non tam acer est, quam inter <mollis> et <asper>, quae notiones prorsus in diversum discedunt, ut apud auct. de subl. XLI, 1—3 *τὰ κατάρυϑμα καὶ σκληρά.* In philosophi compositione tractanda (ep. 100, 1—7; 115, 1) cognovimus quattuor genera: Fabiani fusam a Seneca commendatam et Lucilii nimis anxiam voce <figi> designatam, Ciceronis comptam et Pollionis nimis asperam. Describuntur nostro loco asperi similiter atque in ep. 100, 6 <praefractam (ubi minime exspectes relictura) et asperam probant (aspera gaudent), disturbant de industria siquid placidius effluxit (quae mollius casu explicuit, ex industria dissipent), nolunt sine salebra (Pollionis salebrosa) esse iuncturam i. e. compositionem — ap. Quintil. IX, 4, 32 est *iunctura* compositionis pars singularis, quae <est in verbis incisis membris periodis>, accedunt ordo et numerus —. Nondum dictum est in ep. 100, qua causa nitantur asperi: Virilem et fortem putant inaequalitatem. Asperae compositionis effectum praecipue in pronuntiatione esse conspicuum notabilemque evadit ex verbis <quae (scl. aspera comp.) aurem percutiat>. Affert Quintil. IX, 4, 3 alteram causam praeterea: <neque ignoro quosdam esse, qui curam omnem compositionis excludant atque illum horridum sermonem ut forte fluxerit modo magis naturalem modo etiam magis virilem esse contendunt>. Satis habeo Sparso (S. rh. contr. X, pr. 11) et C. Severo uti exemplis compositionis durae, quae vitabat conclusionem. Comparatur cum compositione aspera mollis etiam a Quintil. IX, 4, 142 <in universum si sit necesse, duram potius atque asperam compositionem malim esse quam efffeminatam et enervem, qualis apud multos . . . saltat>. Denique conferatur apte Dionysii descriptio (de comp. XXII, 169) severae compositionis, cui asperorum componendi genus prope accedit: *πολλὴ δὲ καὶ ἡ τῶν κώλων ἀσυμμετρία πρὸς ἄλληλα καὶ ἡ τῶν περιόδων ἀνωμαλία* (inaequalitas) *καὶ ἡ τῶν σχημάτων*

καινότης καὶ τὸ τῆς ἀκολουθίας ὑπεροπτικὸν καὶ τὰ ἄλλα ὅσα χαρακτῆρι καὶ τῆς ἀκομψεύτου (horridae) *τε καὶ αὐστηρὰς ἐπελογισάμην ὄντα ἁρμονίας* (iuncturae). — Adumbratur autem compositio mollis a Seneca tribus fere verbis: <*modulatio est: adeo blanditur*> cf. *κολακικὰ ὀνόματα* Dion. Hal. de comp. XXIII, 172. Mollitudine igitur et dulcedine impedit cogitationes nec ad seria patitur intendi eodem modo, quo blanditur auribus symphoniae cantusve modulatio (ep. 123, 9), quae quia torquet inflexu vocem, cuius rectum cursum natura et optimum et simplicissimum fecit, reprehenditur (dial. X, 12, 4). Similiter describitur compositio nimis numerosa *τὸ ἔμμετρον ἔνρυθμον τῆς λέξεως* imprimis Asianis attributa (Theo, progymn. p. 71, 9 Sp. II) ab auct. de subl. XLI, 2 <*ὥςπερ ᾠδάρια τοὺς ἀκροατὰς ἀπὸ τοῦ πράγματος ἀφέλκει καὶ ἐφ' αὑτὰ βιάζεται, οὕτως καί τὰ κατερρυθμισμένα τῶν λεγομένων αὐτὸ τοῦ λόγου πάθος ἐνδίδωσι τοῖς ἀκούουσι*> et Dion. Hal. de comp. XII, 68 *τὰ εὐμελῆ καὶ εὔρυθμα καὶ εὔφωνα ὀνόματα ὑφ' ὧν γλυκαίνεταί τε καὶ ἐκμαλάττεται καὶ τὸ ὅλον οἰκείως διατίθεται ἡ αἴσθησις*. Alia cf. ad § 1 <infracta et in morem cantici ducta> et Maecenatis compositionem. — In explicando exemplo tertio et quarto, quae Seneca ex magno numero (cf. § 15 quot genera dabo, quibus peccetur) compositionis generum affert, offeruntur complures difficultates non leves (cf. Forbiger p. 153*), praecipue in tertio, quod a Quintiliano non commemoratur, nisi forte cogitat de eo VIII, 2, 14 (p. 123 l. cit.). At confert Geigenmueller apte cum nostro loco Graecum *ἀναβεβλημένος*, quod referri solet ad syllabarum tarda intervalla, quibus tardi numeri respondent ut Dion. Hal. Dem. 43, 1089 et de comp. 18, 116 cf. auct. de subl. XLII, 2 et Cic. or. 53, 178. Quos auctores Seneca descriptione sua denotet, nobis non iam apertum est. Quid contra persecuti sint liquet: Producunt et detinent auditorem, cum clausulas praeparant atque incipiunt, sed non statim ad finem perducunt, potius differunt cf. § 11 <sunt qui (sensus) detineant et porrigant>. Sunt igitur quodammodo similes asperorum: ambo fallunt eos, qui audiunt, clausulis, vario tamen modo: asperi abrumpunt subito numerum adhibitum, hi contra differendo exspectationem tentant. Verba <*ad clausulas redeunt*> BA

integra esse non possunt, nam responsio, quae est in <redire = wiederkehren> (Forbiger, Haakh), abhorret a verbis antecedentibus, accedit quod <ad clausulam = am Schlusse) offensionem praebet, porro leguntur <ad> et <sre> in A in rasura. Conicit autem Hermes (l. l. p. 11) <vix ad clausulas prodeunt>, non male; fortasse <clausulas edunt vel reddunt> scribendum est, cum <ad> facile ex sequente <cl> oriri potuerit. — Ut hoc in genere componendi exspectatio attenta vel potius taedium, quod efficitur differendo, tollitur in fine, ubi completur clausula, ita quartum genus <*in exitu lentum*> est. In verbis <in exitu lenta> in ep. 100, 7 nondum praedicatis pondus est generisque quarti proprietas eximia. Nec sine causa posita sunt verba initio sententiae et statim adiuncta verbis <vix ad clausulas prodeunt>. Exemplo est Cicero, cuius longae periodi, quia alienae sunt ab oratione brevi pressaque a Seneca propter sensuum expressorum integritatem atque perspicuitatem commendata, vituperantur. Qua re fit, ut Seneca reprehendatur a Quintil. (X, 1, 130) Ciceronis periodos aequabiliter structas et fluentes defendente. Tribuuntur autem compositioni Ciceronis nostro loco qualitates tres — coniungenda sunt enim verba <*qualis est Ciceronis devexa . . . respondens scl. compositio*> — quae respondent verbis in ep. 100, 7 factis. Vocatur <devexa>, = lenta ep. 100, vox translate usurpata = suaviter inclinata, oppositum est <praeceps, salebrosus> cf. ep. 12, 5 <aetas devexa iam, non tamen praeceps>, imago ducta est a loco proclivi cf. 40, 7. — *molliter detinens]* = sine infamia mollis 100, 7, otiosa et lenis; videtur detinens = anhaltend usurpatum esse sensu intransitivo, nusquam tamen invenitur exemplum simile. An fortasse scribendum est <desinens>? — *nec aliter quam solet ad numerum suum pedemque respondens]* = una est ep. 100, 7. Iure offendit Badstuebner (progr. 1901 Hamb. p. 25) in librorum verbis <ad morem suum>, quippe quae idem exprimant, quod <nec aliter quam solet> et proposuit nisus Quintil. IX, 4 <verum ea quae efficitur e pedibus aequa conclusio, nomen aliquid desiderat. Quid sit igitur potius quam numerus> „ad numerum“ pro „ad morem“ Addo Cic. de or. I, 60, 254 <astrictus certa quadam numerorum moderatione et

pedum> cf. Blaß l. l. p. 38/39. — Perlustranti mihi voces <*pes, devexa, detinens, ad clausulas prodeunt, salebra, salebrosa, pedem curvat*> videtur Seneca in descriptione compositionis generum secutus esse has imagines: Pollionis est similis hominis, qui currit per locum declivem et exsilit et ante finem propositum subito de via deflectit; Ciceronis autem eius, qui semper quietus eodemque tempore peraeque usus per eundem locum graditur et certo ad finem pervenit, tertium denique genus comparatur cum homine, qui certum ad finem tendit et re vera venit, attamen moratur interdum in via. Verborum delectu et compositione tractata persequitur Seneca epistulae secundam partem, cum enumerat sensuum quattuor vitia, quorum unumquidque binis adiectivis describitur. Inspicientibus nobis iamiam huius partis exempla se offert divisio bipertita latens quidem sub partitione tripertita et quadripertita: delectus verborum, exempla tria, sed cum alterum bis tractetur et primo atque tertio opponatur, efficitur bipartitio speciosa quidem; compositio, duae oppositiones compositionis generum; sensus, exempla quattuor quorum 1 et 2. 3 et 4 inter se opposita sunt (cf. etiam: si aut — aut, si — si) et unumquidque duplici modo exprimitur. Inter verba <respondens> et <*non tantum*> hiat conexus, desideratur hic fere sensus: „sic peccatur delectu verborum et compositione". Detractionem hoc loco accipere valde dubitem, videtur potius aliquid excidisse in libris. Vis vocis <sententiarum> = Gedanken (Merchant l. l. p. 57 cf. p. 51 infra), non = Sentenzen (Volkmann l. l. p. 455) evadit e contextu: opponitur delectus verborum et compositio. — *pusillae et pueriles]* *μικρόκομψοι* (Dion. Hal. de comp. 4, 28) *καὶ μειρακιώδεις* vel *παιδιώδεις,* quae notio egregie definitur ab auct. de subl. III, 4 <*ἄντικρυς ὑπεναντίον τοῖς μεγέθεσι· ταπεινὸν γὰρ ἐξ ὅλου καὶ μικρόψυχον καὶ τῷ ὄντι κακὸν ἀγεννέστατον . . . ἐστιν . . . σχολαστικὴ νόησις, ὑπὸ περιεργίας λήγουσα εἰς ψυχρότητα. ὀλισθαίνουσι δ' εἰς τοῦτο τὸ γένος ὀρεγόμενοι μὲν τοῦ περιττοῦ καὶ πεποιημένου καὶ μάλιστα τοῦ ἡδέος ἐποκέλλοντες δὲ εἰς τὸ ῥωπικὸν καὶ κακόζηλον.* Corrupto dicendi generi attribuitur a Quintil. (XII, 10, 73) puerilium sententiarum lascivia cf. Tac. dial. 26, 8. — contrariae sententiae <*improbae et plus ausae quam pudore salvo licet*> cf. 114, 1 <sensus audaces et

fidem egressi>, Philod. rhet. p. 341, 5 Sudh. *ϑρασεῖς καὶ τετολμηκυίας καὶ ἀναιδεῖς ἡ ῥητορικὴ δέχεται,* auct. de subl. 8, 2 *παρατετολμημένα.* — *floridae]* ἀνϑηραί (Quintil. XII, 58) cf. sententiarum flores (Cic. de or. III, 96) = ἄνϑος auct. de subl. X, 4, flosculi (Quintil. II, 5, 22 etc.), intelleguntur sententiae nimio ornatu expressae cf. Cic. Brut. 82; Quintil. 2, 5, 18; 12, 10, 59. Apte coniunctum est cum <nimis dulcis>, nam definitur <florens> Cic. or. 27, 96 <est quoddam . . . florens orationis pictum et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores cf. Dion. Hal. Dem. 18, 1007. — *nimis dulces]* vel praedulces (Quintil. XII, 10, 73; II, 5, 21 *γλυκεῖς,* quae aures nimia suavitate et dulcedine implent cf. 75, 5 <aures scabis> et S. rh. contr. I, 4, 7; II, 1, 24 sq.; 6, 8; suas. 7, 12; Quintil. II, 5, 21 sq. Fabianum dixisse sententias dulces Arellii Fusci exemplum sequentem iam memoravimus, Surdinus dixit etiam praedulces et infractas frequentius (suas. 7, 11). — *in vanum exeunt — sonant]* cf. ep. 40, 5 multum habet inanitatis et vani, plus sonat quam valet.

§ 17 sq. Sententia <*consuetudo civitatis* (orationem) *versat*> exemplis ita illustrata, demonstratur uno viro exemplo adhibito, quomodo imitatione prava oriantur et propagentur vitia orationis. Arrunti, imitatoris Sallustii, oratio praebet exempla septem insignia, quae pertinent ad Sallustianum usum vocabularum <facere famae hiemare>. Ac discimus fieri ea, quae in exemplari fortuita et quasi naturalia sunt, captata et ficta in oratione imprudenter imitantis. Huiusmodi vitia imitatione effecta nec luxuriam indicant nec animum corruptum, cum illud corruptum quod orationi imitantium adhaeret sit aliquid alienum. Aliter se habet res, si corrupta oratio propria et ex ipso auctore nata est, nam ex ea dicentis affectus aestimare licet. Exemplo sunt oratio iracunda incitata fluxa affectata. Sic delabitur oratio ad Maecenatem aliorumque similium, qui cum animus corruptus sit, peccant <*scientes volentesque*> i. e. in vollem Bewußtsein und mit Absicht, enuntiatum proverbiale quod multo saepius verbis <prudens sciensque> exprimitur (cf. Otto l. l. s. v. scire 2). Ex animo pendere orationem initio expositum est. Eius singularis vis nunc diligentius, sed magis universe demonstratur et perducitur epistula ad finem adhortatione copiosa et philosopho digna.

C. Conclusio.

Liceat postremum colligere quaestiones gravissimas, quae nobis occurrerunt in interpretando. Saepius offerebatur occasio accurate conferendi locos quosdam, qui primo aspectu a se dissidere videbantur, et eruere num sibi constaret Seneca. Sed spero me satis demonstrasse varietatem discordiamque animi scriptori vix opprobrio dari posse et inveniri recte interpretanti rarissime offensiones veras. Gercke, vir doctus, errat, id quod pace eius dictum sit, praecipue in eo quod epistulas 40 et 100 quamvis sint de rebus prorsus dissimilibus parum separat et artis voces subtiliter distinctas sententiarumque conexum interdum nimis neglegit. Ut autem mihi non licet primum defendere Senecam, ita valde gaudeo Americana illa expositione confirmari ea, quae interpretatione enucleavi. — In inspicienda terminologia Senecae adhuc a viris doctis nusquam tractata exceptis perpaucis Ernestii notis operam non frustra navasse mihi videor: subtiliter eligit, distinguit, quin etiam fingit Seneca artis voces, id quod eo magis miramur, quod non est inter auctores rhetoricos . Verum cognoscimus non inutilia fuisse eius studia rhetorica. Percensenti autem epistulas nostras statim manifestum est multa vocabula esse, quae in Ciceronis libris rhetoricis nondum leguntur. Itaque, quamvis pauca sint verba a Seneca de rebus rhetoricis elata, eius artis vocum ratio habenda erit non exigua in novo lexico technol. rhet. Lat. componendo, quod utpote opus necessarium, sane non facile, nobis mox donatum iri speramus. — Quod attinet ad iudicia quae Senea tulit de Cicerone et antiquis Romanorum scriptoribus, vix fuerunt tam infesta et acria quam tradunt antiqui critici et a litteratis recentibus accipi solet. — Inter auctores, quos illustrandi causa saepenumero

adhibuimus, longe plurima debemus Quintiliano. Sed miramur, quod Quintilianus nusquam verba a Seneca de oratione facta tetigit. Non minus mirati sumus permultis locis, quorum maxima pars est de oratione corrupta, non modo in describendis verum etiam reiciendis corruptis consentire Senecam cum Quintiliano,[1] quippe qui staret ab adversariorum parte. Si quaeris, cur duo auctores eadem fere doctrina utantur, in elocutione tamen dissentiant, respondeam duo: Quintilianus putat corruptum, quodcunque normas Ciceronianas excedit. Seneca Ciceronis virtutes oratorias magni aestimat, sed tantum abest ut eum iudicet summum perfectissimumque oratorem, ut eum superavisse sibi videatur. Ita fit, ut apud Senecam vox corruptum pertineat ad immodica et insulsa vitia novorum, quae praecipue in ep. 114 improbantur. Quo accedit, quod Seneca multo magis quam Quintilianus Stoicorum arte rhetorica nititur, in qua omnia ad mores referuntur. — Iamiam nonnulla de auctoribus, quos Seneca secutus est in epistulis nostris conscribendis. Imprimis Stoicos, secundo loco Epicureum in censum venire satis ostendimus (p. 97). Relinquitur, ut addamus complures res singulas, quae adhuc aut nondum aut paucis per occasionem tractatae sunt. Multis locis difficillimum esse diiudicare, utrum pendeat Seneca ab auctore similia proferente an putandus sit conexus, qui invenitur, pro re illius aetatis communi ac tradita nemo negabit. Sic vix diiudicaverim, num Seneca Dionysii libros et auctoris de sublimitate libellum, si modo priore parte primi saeculi compositus est, inspexerit, quamquam exstant compluribus locis similia. Collatis tamen eis, quae a nostro et a patre iisdem de rebus disputata sunt, conatus sum demonstrare — excipienda sunt ea quae uterque de Fabiano dicit — non tantum valuisse patris libros ad filium, quantum per se exspectatur et acceptum est a Preisendanzio et Rollando, quorum alter sine accurata interpretatione singularum rerum conectit ut congruentes locos-

[1] cf. Gercke l. l. p. 136: „Quintilian hat sich in s. Urteilen vielfach an d. ältern Seneca angeschlossen, jedoch auch vom Sohne manches genommen."

similes de Publilio Syro, Fabiano, Haterio, Attalo e. a.[1] Multo maiorem iudico Fabiani vim, non solum in oratione sed etiam in rebus eligendis . Ipse confitetur Seneca compluribus locis diserte[2] quantum debeat praeceptori amato; aliis multis locis idem concludere licet. Singulas autem orationis virtutes a Seneca commendatas si oculis perlustramus, omnibus locis aureae mediocritati Horatianae occurrimus: Semper tenet Seneca medium inter immoderata dicendi genera aetatis suae. Verba rebus postponenda esse et orationem sequi ultro res provisas non solum a philosophis (Cic. or. 16, 51, de or. III, 72), sed etiam ab aliis auctoribus praeceptum est (Cato, de rhet. 15 (Jord. p. 80), Hor. a. p. 311, Jul. Vict. art. rh. p. 197 (Halm p. 374) cf. Radermacher, mus. rhen. 54 (1899) p. 286sq.; Arnim Dio v. Prusa, 1908 p. 91/92). Philosophum vero animum semper infestum fuisse sophistis philosophantibus, qui philosophiam posuerunt in verborum strepitu et cavillationibus obscuris iam ex Platonis dialogis satis liquet. Hirzel (l. l. II p. 25 adn. 2) adnotat redire ad Platonem (Phaedr. 277 E), quae dicantur in ep. 40, 4 de <*μακροὶ λόγοι ῥαψῳδούμενοι πειθοῦς ἕνεκα λεχθέντες*>, discedere quidem Senecam a Platone cum commendet tardam orationem, contra consensum duorum auctorum esse plenum in ep. 38, 1. Plato quoque, quamvis non primus, pronuntiavit conexum esse inter vitam et orationem hominum (Norden), cum Senecae aetate epistulae 114 propositum <de causis corruptae eloquentiae> saepius (Quintilianus, de corr. eloqu., Tacitus, dial. etc.) tractaretur propter dicendi generum diversitatem. Tantum hac de re. — Restat ut de relatione, quae est inter Senecae artem et orationem, quid iudicem paucis perstringam; prorsus omittere non possum hanc quaestionem, quia Seneca in ep. 75 de elocutione epistularum suarum disserit. Nimirum minime expediri potest hoc loco huiusmodi quaestio,

[1] cf. Gemoll, W. f. Kl. Ph. 1907 Nr. 6 p. 148—50, Bickel, B. ph. W. 1908 p. 1114sq. Nr. 36, Waltzing, Musée Belge X, 1906 p. 283.

[2] addo de brev. vit 10, 1 <solebat dicere Fabianus . . . contra adfectus impetu non suptilitate pugnandum, nec minutis vulneribus sed incursu avertendum aciem; non probat cavillationes, eam (aciem) contundi debere, non vellicari>.

quae non ad finem perducitur nisi dictione Annaeana accuratissime in dissertatione singulari tractata. Permulta disputata sunt de Senecae oratione iam ab antiquis, plurimis verbis a Quintiliano, cuius ex notissimo iudicio (X, 1, 125 sq.) pendent ea, quae Gellius et Fronto eadem de re protulerunt. Sed omitto iudicia antiquorum parum integrorum, praesertim cum verborum Fabii pars gravissima corrupta sit (cf. Wölfflin, Hermes, 25, 326, Gercke p. 136/37), et relego ad Rocheblavium (qui iudicium invidiosum iniquumque vocat) Reuterum (l. c. p. 30 <quae de Senecae admiratione proferuntur non ex animi sententia sed aut timore expressa aut prudentia effecta sunt>) atque Gerckeium (l. l. p. 136 S. trotz aller Härte nicht ungerecht beurteilt), Friedlaenderum (Hist. Zeitschr. ed. Meineke 1900 p. 228/29 Qu. läßt S. alle Gerechtigkeit widerfahren), denique Nordenum, qui medium tenens inter duas opiniones prolatas mihi quidem rectus esse videtur. In conferenda arte et oratione mihi persuasi Senecam non valde a se dissentire, certe si respicimus epistulas (similiter Merchant). Ubi enim obscura brevitas aut tumor inflatus, ubi antiquorum novorum vulgarium verborum licentia, ubi translationes immodicae, ubi compositio aspera aut mollis? Non nego Senecam interdum indulgere artibus declamatoriis quibusdam velut in sententiarum usu frequenti et, locis communibus descriptionibusque adhibendis, quibus de rebus egit fusius, sed minus accurate Rolland. Tamen incidunt in vitia omnes fere magni viri ingenio suo ducti. Satis habeo Epicurum ut exemplum hoc loco aptissimum (cf. p. 98) conferre, qui naturalem elocutionem a se commendatam ipse non semper adhibet (Radermacher, mus. rhen. 1899 p. 356). Simul reputes velim Senecam diligentissime imbutum esse arte rhetorum patre moderante. Adice porro quod illa ipsa aetate, in qua florebant diversa dicendi genera, auctores saepe incerti ac dubii erant animo (cf. Rolland p. 11). Seneca rhetor, qui commendat cum ardore Ciceronem, non caret in scriptis suis temporum suorum vitiis. De Plinio cf. Norden p. 318 sq. Senecam autem propter vitia nonnulla numerare in aetatis illius corruptis scriptoribus, quos ipse castigat, iniquum est, praesertim si spectamus ad verba Lucilii, aequalis Senecae auctorisque hac in re diiudicanda gravissimi, de Seneca facta et com-

paramus cum Senecae oratione rhetorum a S. patre descriptorum aliorumque corruptorum dicendi genus, quod prorsus consentit cum stilo corrupto in ep. 114 reiecto. Hoc utique certum est epistularum orationem multo propius accedere ad regulas normasque a Seneca statutas quam vitia corruptorum. Honores denique scriptis Annaeanis imprimis in aetate media ab ecclesiasticis tributi, quos ipsum providisse illo dicto ep. 21, 5 apparet: <habebo apud posteros gratiam, possum mecum duratura nomina educere> satis profitentur eum non esse declamatorem (Norden I, 308, Haase, edit. I, p. IV, 1871, Krebs-Schmalz Antibarbarus p. 9) verborum plausum captantem (cf. Misch l. l. p. 247/48). — Haec hodie satis habeo protulisse. Gaudebo, si aliquid bonae frugis eis, penes quos iudicium est his de rebus, videbitur accessisse hac mea dissertatione, cuius summa perfectio supra tironis vires sit et pendeat ab infinito propemodum lectionis observationisque labore.

Vita.

Ego, Georgius Johannes Müller, natus sum a. d. IV. Nonas Apriles anni 1887 in vico Stauchitz, haud procul ab oppido Riesa sito, parentibus Roberto Oswaldo, qui ibi mercatoris negotiis fungebatur, et Maria e gente Nickol. Fidem profiteor evangelicam. Primis elementis imbutus quattuor per annos ab anno 1897 usque ad annum 1906 gymnasium regium Wurzense frequentavi Guil. Roschero et O. E. Schmidtio moderantibus. In numerum civium academicorum almae matris Tubingensis eodem anno receptus interfui scholis, quas habuerunt vererabiles professores Gundermann, Herzog, Pfau, Schmid, L. v. Schwabe, Spitta, Voretzsch. Feriis quae sequebantur licebat mihi iter per Graeciae et Asiae partem facere. Semestri autem autumnali sequente in universitatem patriae meae transii et docuerunt me vel docent professores doctissimi Barth, Bethe, Birch-Hirschfeld, Brugmann, Cohen, Gardthausen, R. Heinze, Jungmann, Immisch, Lipsius, Martini, Schreiber, Settegast, Studniczka, Volkelt, Weigand, Wilcken, Wundt, Zarncke. Proseminarii philologici fui sodalis quattuor per semestria Gundermanno, Immischio, Heinzio, Bethio moderantibus, seminarii duo per semestria Bethii Heinzii Lipsii auspiciis. Praeterea me admiserunt ad seminarium archaeologicum liberaliter Studniczka, ad exercitationes et seminarium francogallicum Birch-Hirschfeld, ad paedagogicum Jungmann et Volkelt, viri docti. Quibus omnibus praeceptoribus multum debeo: imprimis vero J. H. Lipsio, qui inde ab autumno anni MCMVIII me ornavit munere famuli et simul instituti philologi bibliothecarii, nec non Ricardo Heinzio, qui his studiis meis semper summa liberalitate et benevolentia favit.